

The image shows the front cover of an old book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, featuring swirling, organic shapes in shades of yellow, green, pink, and black. The spine of the book is bound in a light-colored, textured cloth. A small, rectangular library label is affixed to the lower-left corner of the cover. The label is divided into three sections: the top section contains the year '1977' in red, the middle section contains the letter 'L' in red, and the bottom section contains the number '1030' in blue. The book is set against a dark, solid background.

1977

L

1030



Em 35



*e*  
**DIALECTI-  
CA** MVLTI AC VARI-  
is exemplis illustrata, unà cum facili-  
ma Syllogismorum, expositoriorum,  
enthymematum exemplorum,  
inductionum, & soritum  
dispositione.

**AVTORE M. ERASMO**  
*Sarcerio Annemontano.*



**MARPURGI** in officina Chris-  
tiani Egenolphi.







# DOCTRI

NA AC EXPERIENTIA

egregio uiro Iacobo Othoni nobi  
lissimi Nassensis comita-  
tus Secretario.

MAGISTER ERASMVVS SAR  
cerius Annemontanus.

S. D.



E MIRERIS CAN-  
didissime Secretarie,  
quid mihi in mentem  
uenerit, quod ego po-  
stremus omnium Dia-  
lecticam edo. Sanè si  
integrū est, apud cor-  
ruptissimum hoc no-

strum seculum fateri ueritatem, rem sic paucis ac-  
cipe: Coactus sum in hæc usq; tempora, idq; fortuna  
sic corrente, publicis scholis præesse, quam provin-  
ciam si non cum magno meo fructu, tamen assidua  
sedulitate semper studii administrare diligenter. Et  
quia dominus PHILIPPVS, uenerandus ipse  
us usus, tam Dialectices quam Rhetorices, pater, non  
uno in loco præceptores iuuentutis monet, ut super-  
stitiosam quandã in tradendis liberalioribus illis ar-

A a tibus



libus, curam adhibeant, multisq; exemplis reddant  
eas suauiores. Volui itaq; tanti hominis admonitio-  
nibus acquiescere, & rigida aliàs Dialectices præce-  
pta exemplorum multitudine mitiora efficere. Non  
quòd alij idem longè doctius ac melius nõ præstite-  
runt, sed quia crediderim hanc artem non posse satis  
illustrari exemplis. Et utinam plures in instituendi  
officio occupati, idem studerent, quò adolescentes  
obrutis exemplis, cogerentur tandem fateri Dialecti-  
cam non esse ita spinosam, sicut quidam monstròse  
de tanta arte imaginantur. Ea igitur exempla, quæ  
subinde inter docendũ meis pueris proponere soleo  
in libellum conieci: Primũ ut iuuentuti inseruire mo-  
ne exscribendo ac discendo, simul nimium grauare-  
tur: Deinde, ut & me leuarem à dictandi onere. Pla-  
cuit autem tibi humanissime Secretarie, hunc libel-  
lum dicere: Primum ne omnino sine patrono in pu-  
blicum prodiret. Deinde ut haberes aliquando præ-  
scriptum Dialectices formulare, quò filiolum  
tuum Ioannem, ubi adoleuerit, ad hu-  
ius artis amorẽ excitares. Vale,

Sigenæ Tengrorum. 25

Novembris.

ANNO 1536.

De lauro



De Laudibus Dialectices.

PLATO.

**D**ialectica, oculos humanos in barbaricum  
coenum infossos, sensim attollit & abstergit,  
ut in iudicando acutius uideant.

Cicero II. de Legibus.

Vna dialectica continet omnem perspiciendi ac  
iudicandi, quid sit in unaquaq; re, scientiam.

Plato.

Rerum umbras & simulacra tantum uident, non  
res ipsas, qui ignorant dialecticam.

Dialectica est instrumentum tractandi artes &  
reliquas res omnes. Hinc Aristoteles uidetur Diale-  
cticis libris organi nomen fecisse.

Omnes artes latent sub dialectica, tanquam co-  
chlea in sua testa. (mentandi.

Dialectica est ars definiendi, diuidendi & argu-

Definire est signatè quid quæq; res sit exponere.

Diuidere est explicare rem per partes.

Argumentari est alia ex alijs colligere.

Partes Dialectices.

Dialectica est duplex, Altera inueniendi, quæ  
monstrat locos, è quibus sumuntur argumenta.

Altera iudicandi quæ iudicat de inuentis, &  
inuenta digerit in ordinem.



## DIALECTICA

### De usu Dialectices.

Usus dialectices est, ut certo iudicio omnium rerum ordinem & coherentiam apud animum perspiciamus quidq; in dicendo & scribendo sequi debeamus. Huius artis imperiti ex Platonis sententia, nihil vident in rebus, sed tantum rerum umbras. Et tales, sicut Cicero. 2. de finibus ait, loquuntur confusè. In exemplum proponit Cicero. 23. & 4. de finibus Epicurum philosophum, confusissimè propter imperitiam dialectices de omnibus rebus disputantem.

### Dialectices Officia.

Definire, dividere, argumentari. Quæ tria sub se continet proprium dialectices officium quod est docere.

### De fine Dialectices;

Finis dialectices est, probabiliter de aliqua re dicere.

### De facilitate Dialectices.

Dialectica natura nobis inest, præcepta vero artis inuenta sunt, ut nos admoneant eorum, quæ nobis insunt natura.

### De definitione Nominis.

Definitio nominis est, quæ quid propriè quæq; vox significat exponimus. Ut quid significat homo? Responde, Est animal quod loqui potest. Quid est iusticia politica? Responde, Est virtus unde boni & iusti



ieusti appellantur coram mundo. Quid est iusticia fio  
dei? Responde, Est gratuita imputatio remissionis  
peccatorum.

De Prædicabilibus seu quinqz  
uocibus.

Ad intelligendum ordinem uocū conducunt præ  
dicabilia, ut sciamus quæ uoces latè patent, quæ non:  
Nam dialecticus minus communia probat per magis  
communis. Huc pertinet quæstio de uocibus, ut cum  
de religione, iusticia, & alijs simplicibus uocibus  
disputatur.

Prædicabilia sunt quinqz, Species, Genus, Diffe-  
rentia, Proprium, Accidens.

His additur & individuum nomen proprium,  
aut quod eius uice ponitur, Vt Petrus, hic magister.

De Specie.

Species est uocabulum cuius forma apud animum  
concipitur, ut homo, canis, pirus, aër.

Est autem dicta species, quod speciendum siue  
spectandum aliquid proponit, ut finge animal, sta-  
tim concipit mens uel asinum uel uaccam, quæ res  
conceptæ dicuntur species

REGVLA.

Quicquid angustius est genere, species est, ut homo  
species est animalis, Petrus species est hominis, ius-

A 4 sticia

*Species*  
*Genus*  
*Differentia*  
*Proprium*  
*Accidens*



DIALECTICA.

Sticia species est uirtutis, Beneficentia species est iusticia.

De Genere.

Genus, est uocabulum quod latissime patet, et cuius nulla apud animum imago concipi potest, ut animal. Est enim animal, eiusmodi res seu uox, quae complectitur omnia illa quae animali uita uiuunt. Arbor talis est uox, quae omnes omnium arborum species sub se continet, ut pirum, pomum, ulmum, alnum.

Farrago aliquod uocum generalium

*Genus*

- Animal
- Arbor
- Fructus
- Metallum
- Elementum
- Herba,
- Frumentum
- Ars,
- Virtus
- Vitium
- Morbus

Sub hoc uel sub hac latent.

*Species*

- homo, equus, leo.
- pirus, pomus, ficus.
- pirum, pomum, cerasum.
- aurum, argentum, ferrum.
- aer, ignis, aqua, terra.
- ruta, lauendula, salvia.
- siligo, hordeum, triticum.
- grammatica, rethorica.
- iusticia, prudentia.
- iniusticia, imprudentia.
- dysenteria, hydropisis.

REGVLA.

Quicquid latius patet specie genus est, ut uirtus genus est



nus est iusticiæ speciei, iusticia genus est beneficentiæ speciei.

## De Differentia.

Differentia est uocabulum quo interna cuiusque rei natura decernitur, Estque differentia pars nature et seruit ad discernendas species à speciebus, sub uno genere latentibus, ut rationale esse seu mentē habere: differentia hominis est, qua differt à reliquis animalium speciebus. Cæterum quia internæ rerum nature nobis plerumque sunt incognitæ, igitur paucissimæ existunt ueræ differentiæ. Ne tamen confundarem internas rerum naturas cum externis, admonuerunt nos tantum Dialectici differentie uocabulo. Porro ab accidentibus et circumstantiis necessitate coactæ atque inopia, petimus specierum differentias. Sic à colore accidente definimus aurum, quod sit metallum fuluum, uinū quod sit album aut rubrum.

De Proprio. *sive aditum*

Proprium est uocabulum quo describimus conditiones, propensiones, et officia, ut uocant potentialia ipsarum specierum, Dicitur uerò proprium quod uni speciei conuenit tantum et uniuersæ, ut propria hominis sunt, sermo, risus, uel loqui et videre

A S dcre

*Dei  
forma.*



## DIALECTICA

dere. Verum ut pueri propriorum syluam aliquam habeant, libuit hæc subijcere.

Canis	} Propria um est. sive eodem	latrare
Equi		binnire
Suis		grunire
Bouis		mugire
Vulpis		gannire
Cicadum		stridere
Camelorum		blaterare
Elephantorum		barrire
Aprorum		fremere
Pardorum		frondere
Vrsorum		gemere
Asini		rudere
Ouium		balare
Anserum		strepere, sibilare
Picorum		garrire
Cornicum	cornicari	
Coruorum	crocitare	
Ciconiarum	erepitare	

Sunt & hæc artibus propria.

Grammatica	} Proprium est.	Bene loqui & scribere.
Dialectica		Docere naturali ordine.
Rhetorica		Docere rectè & ornate.
Arithmetica		Numerare.
Musica		Cantare.

Et



Et quanquam hæc propria subinde in artibus confunduntur, nam una mutuatur ab alia, quibus opus habet, tamē sufficit hic propter puerorum imperitiam & imbecillitatem, hæc officia pro proprijs accipere.

## REGVLA.

Differentiarum paucitas facit, ut proprijs & officijs utamur pro differentijs. Quare non admodum superstitiosè sciungi debet proprium à differentia. Refert tamen scire, quæ supra diximus de differentia, quæ de ea admonuerint nos Dialectici.

De Accidente. *Sen. In. 16.*

Accidens est quod adesse & abesse potest, præter rei cui inest corruptionem. Sic homini inest albedo, nigredo, igni calor, aquæ frigiditas. Estq; accidens quod ad rei naturam non spectat.

## REGVLA.

Accidentia, quæ ita adherent substantijs, ut re ipsa nunquam separentur, ea ratio separat. Sic à coruo nigredo dinoscitur, à cygno albedo.

Appendix de quæstionibus necessarijs ad prædicabilia discernenda.

Questio, Quid sit querit de Specie & genere,

Questio, Quale sit, querit de Differentia, proprio & accidente.

Appen-



## DIALECTICA.

### Appendix De usu quinque prædicabilium.

Ufus quinque prædicabilium præcipuus est, ne communibus uocabulis pro minus communibus abutaris: & e contra. Id quod fit, quando uel generi diuersas species, uel speciebus diuersa genera attribuis: & sic de reliquis. Non enim recte tribuitur religioni ritus seu externarum cæremoniæ obseruatio, ut genus. Item falso tribuitur Ecclesiasticæ potestati, quod ciuiliam ac politicarum rerum administratio sit.

### De Definitione rei.

Definitio rei est, qua cuiusque rei natura signatè & clarè per partes, causas, effectus & contraria, explicatur, ut, Quid est iusticia? Responde, iusticia est uirtus dans unicuique quod suum est. Cuius partes sunt duæ. Est enim iusticia unde boni & iusti appellantur. Et est iusticia quæ beneficentia appellatur, quam exercemus in distribuendis beneficijs in alios. Effectus sunt unicuique dare quod suum est. Communibus uti pro communibus, priuatis autem ut suis, teste Cicero in Offic. Cause sunt iusticiæ, animus seu uoluntas. Contrariam habet iniusticiam. Plura exempla infra reperies, ubi de methodo agemus.

Porro ad exactè conflandas diffinitiones rerum conducunt prædicamenta. Sunt autem prædicamenta

menta



menta tanquam signa seu quædam notæ, quibus rerû  
pariter ac uocum ordines cognoscuntur. Nam uo-  
ces coniunctæ sunt rebus, & per uoces res explican-  
tur: non aliter atque in pyxide quadam sunt res,  
uoces uero pyxidi inscriptæ, ut res in pyxide cogno-  
scantur.

## De Prædicamentis.

Prædicamēta sunt quæ docent quid uniuscuiusq;  
rei naturæ sit attribuendum. Verum prædicamenta  
non tantum internam uocum naturam docent, sed  
etiam accidentium.

Prædicamenta sunt decem:	Substantia	}	Hæc fulcit & sustentat ut inuisi- bilis ipsa accidentia. Nam substan- tia non est oculis exposita. Et homi- nem nemo uidit, hoc est, internam eius substantiam aut naturam.
	Quantitas		
	Qualitas		
	Relatio		
	Actio		
	Passio	}	Alia oculis exposita sunt, & sensi- bus comprehenduntur, atq; adeo tegunt substantiam. Sic accidentia hominis uideri possunt. Ex his ita quædam inherere substantiæ, ut ra- tione tantum separentur.
	Quando		
	Vb		
	Situs		
	Habitus		

## De usu Prædicamentorum

Vsus prædicamentorum consistit potissimum in  
hoc, ne



## DIALECTICA

Hoc, ne substantias aut internas rerum naturas confundamus cum accidentibus.

### De Substantia.

Substantia est natura rei interna per animum ab accidentibus separata, ut Deus, homo, leo, asinus.

### De diuisione Substantiæ.

Substantia est duplex, corpora, quæ accidentibus cetera est, ut homo, leo.

Incorporea, quæ caret accidentibus, ut Deus, spiritus.

### De diuisione Substantiæ corporeæ.

Substantia corporea duplex est,

Simplex, quæ non est conflata ex elementis aut materia, sed creata à Deo simpliciter, ut cælum & elementa, ignis, aër, aqua, terra.

Mixta quæ ex elementis conflata est, ut sunt metalla, aurum, argentum, & hæc absoluta. Inabsoluta, nix, grando, pruina, ros &c.

### De diuisione Substantiæ mixtæ.

Substantia mixta est duplex, Animata & Inanimata.

Animata, quæ habet in se vim & naturam augendi & crescendi, ut homo, aquila.

Inanimata, quæ non habet in se internam uitam aliquam, sed augetur ex qualitate compositæ materie sic operante sole, ut lapides, vitrum, gemmæ, adamant.

De



## De diuisione Substantiæ animatæ.

Substantia animata duplex est. Sentiens. Nō sentiens.

Sentiens, quæ adficitur & commouetur cum cæditur, aut quæ sensu prædita est, ut homo, uacca.

Non sentiens, quæ non adficitur aut commouetur cum cæditur, ut plantæ herbæ, arbores, flores.

De diuisione Substantiæ  
sentientis.

Substantia sentiens duplex est: { Rationalis, quæ ratione prædita est, ut homo, Plato, Petrus.  
Irrationalis, quæ ratione caret, ut asinus, leo, uacca.

## De usu præcedentium diuisionum.

Ufus præcedentium diuisionum est, ut scias inuenire proximum genus à summo genere usq; ad ñmum. Exempli gratia: Homo est substantia corporea, animata sentiens, rationalis. Hic quiescendum est. Item Pirus est substantia corporea, animata non sentiens. Et hic quiescendum est. Vacca est substantia corporea, animata, sentiens, irrationalis. Neque hic ulterius progredi licet.

## REGVLÆ.

I Ultra substantiam non est progrediendum, incipien



## DIALECTICA

incipientes colligere proxima genera, nec prius cessandum nisi ad unum peruenimus.

II. Pertinent ad substantiam, & partes substantiarum, ut pes, manus, caput.

III. Contraria nomina quoque sunt in substantia, ut homo uiuus & cadaver, planta et mortuus truncus.

IIII. Spectant ad prædicamentum substantiæ omnia uocabula significantia internas rerum naturas, quibus adherent accidentia, ut sunt uocabula omnium creaturarum, quæ in se habent uim augendi, crescendi, uiuendi, & coalescendi, siue ex se, ut homo, leo, pirus, mugil, hyacinthus, hordeum: siue per accidens, ut inanimata omnia, uel uti lapides, uirum, gemmae. Ad hæc pertinent ad substantiam, res incorporeæ, tam creatæ quam non creatæ, ut Deus pater, deus filius, Deus spiritus sanctus, angeli tam boni quam mali. Item simplicia creata per se, ut cœlum, ignis, aer, aqua, terra. Item mixta ex elementis uocabula, quæ sunt duplicia.

Absoluta, ut perfecta metalla.

Aurum  
argentum  
ferrum

Inabsoluta, ut metalla imperfecta

nix  
grando  
ros  
pruina

V. Non



¶ Non opus est semper discurrere definiendo uocabula substantiæ, per omnia inferiora genera, sed satis est proximum apprehendisse, ut homo est substantia rationalis, & quæ loqui potest.

### De Quantitate.

Quantitas est magnitudo rei & duobus sensibus percipitur, tactu & uisu, cuius proprium est diuidi, ut magnum in suas partes, miliare ut lögum, in suos passus: ulnam, in sua quartalia: item numum in suas unitates tanquam articulos in suam causam, ut Grossum Misnensem in sex & sex numos, in quatuor & octo, Orationem in tot & tot uerba, Verbum in tot & tot syllabas, Syllabas in tot & tot literas.

### Quantitas est duplex.

Continua quæ cohæret, & cuius partes nõ sunt diuisæ. Hac quærimus quanta res sit, ut quantus est equus Troianus 2. Ænei. Instar montis &c. sunt autem huius tres species.

Linea est longitudo per se: Ad hanc pertinent omnia longa, ut ulna, miliare, uirga, qua agri mensurantur

superficies est latitudo seu externa species, Die dunnikeyt eyns dings, quæ licet in rerum natura nõ sit, tamen sic proponit eam dialecticus concipiendã. Ad hanc pertinent omnia lata & longa, ut ager, fundus, pratum, campus &c.

B

Corpus



## DIALECTICA

Corpus est densitas à subiecto separata, ut est quadrata forma, seu magnitudo tesseræ separata ab ossicula. Ad hanc pertinent formæ tantum rerum seu corporum, ut forma trianguli, quam pyramidem uocant, forma quadranguli, quam tesseram uocant.

Discreta, cuius partes non cohærent, sed separantur. Hac quærimus quot sint, ut quot numeris albus ualeat, quatuor et quatuor, uel tribus aut quinque, uel duobus & sex. Item quod sunt uerbum? Decem, tres & septem, quinque & quinque. Item quot uerbis constat hæc uel illa oratio? Sex, uel tribus & tribus, uel quatuor & duobus. Huius duæ sunt species.

Numerus, ut unum, duo, tres, &c. & hæc numeralia causæ sunt maioris numeri. Sic decem resoluitur in quinque & quinque, uel in quatuor & sex.

Oratio, ut ueritas odiū parit. Hæc resoluitur in suas uoces, uoces in syllabas, Syllabæ in literas.

### Sylua uocabulorum mensuræ hic necessariorum.

Digitus (nor Palmus mi Palmus ma Pes (ior Cubitus.	} continet }	{ quatuor hordei grana in latū po sita. { quatuor digitos. { duodecim digitos. { quatuor palmos minores. { sequi pedem.
---	--------------------	--

Gressus



Gressus	duos pedes & semissem.
Passus	quinque pedes, hoc est, duos gressus,
Orgya	sex pedes,
Stadium	125 passus,
Plethrum	centum pedes, & saepe p iugero capi
Diaulos	duo stadia. (tur
Miliare	mille passus uel octo stadia,
Dolichos	duodecim stadia,
Schenus	Sexaginta stadia,
Parasanga	Triginta stadia,

## De usu quantitatis.

Usus quantitatis est apud poetas & rhetores in diuisionibus, cum amplificationis gratiarem per partes exponunt.

Continuae autem usus est praecipuus in comparationibus rerum inter se.

Discrete, usus est in distributionibus rhetoricis.

## REGVLAE.

I Mathematica docet quantitatem continuam, id est, longitudinem. Arithmetica, quantitatem discretam, id est, numerum.

II Vt substantias cum accidentibus confundere non licet, sed sunt seorsim concipiendae. Sic in hoc predicamento, longitudo à latitudine, et sic de reliquis concipi debet.

III Pertinent ad quantitatem omnia quae diuidi

B 2 possunt,



## DIALECTICA

possunt, ut sunt longa uel uti linea: lata ut campus,  
magna uel densa formaliter seu specietenus sumpta  
ut tessera: multa, ut decem, uiginti, oratio.

IIII Quantitatis diuisio ad hoc prodest, ut scias  
proximū genus inuenire, ut quid est ulna? Responde,  
ulna est quātitas cōtinua, linea in longū extēsa q̄ me  
titur pannis. Paucioribus sic, Vlna est qd. longū, quo  
metitur pānus. Ager est quātitas cōtinua, superficies  
ferens frumenta. Paucioribus sic: Ager est superfi-  
cies uel locus planus ad ferenda frumenta aptus.

Oratio est quantitas discreta, quæ constat pluri-  
bus uocibus. Decem est numerus constans quinque &  
quinque quatuor & sex partibus.

### De qualitate.

Qualitatis est quicquid sensibus humanis subie-  
ctum est præter quantitatem, Alle geschicklicheyt  
des leibs vnd gemüts on die quantitet. Et hæc à sin-  
gulis sensibus iudicatur per se singulariter, ut de al-  
bo uisus tantum iudicat, de sono tantum auditus.

### De usu qualitatis.

Qualitas usus est præcipuus, ut ornet substans  
tias, & reliquis prædicamentis in exornando serui-  
at, ut homo sapiens, pater probus, seruus perfidus.  
Utuntur uero qualitate rhetores in commendandis  
aut uituperandis personis.

Corpo



Corporis

Visus, ad quem spectant colores, album nigrum, rufum.

Auditus, cuius sunt soni, tam articulati, ut oratio, quam inarticulati, ut mugitus, latratus.

Qualitas est duplex

Odoratus, cuius sunt odores, ut suavis in gratus, graueolentus.

Gustus, cuius sunt sapes, ut dulcedo amaritudo.

Tactus, cuius sunt quæ possunt tangi, ut calor, frigus, humidum, glabrū, asperū.

Intellectus, qui sub se oēs artes cōtinet quæ sunt habitus, hoc est, quæ assiduitate quadā discēdi percipiuntur, atq; post ea, inhaerent animo, ut Grammatica, Rhetorica, figulina, pugilatoria.

Animi et hæc duplex est.

Voluntatis cuius sunt

Virtutes, ut prudentia, iusticia fortitudo, modestia. Item Contraria, iniusticia, imprudentia.

Affectus, quibus probata à ratione amplectimur, improbata ab illa fugimus, ut ira, dolor letitia, spes, metus.

REGVLÆ

I Sicut diuisio substantiæ & quantitatis utilis est ad inuenienda proxima & propria in definiendo genera

B 3 vera



## DIALECTICA

nera, ita et diuisio qualitatis ad hoc prodest, ut quid est album? Responde, album est color candidus, qui qualitate corporis, ipso visu percipitur.

Grammatica est ars quæ qualitate animi ipso intellectu percipitur. Paucioribus sic.

Grammatica est ars quæ docet rectè loqui & scribere. Nam artium differentie plerunq; ab officio petuntur.

Iusticia est qualitas animi consistens in uoluntate, quæ dat unicuiq; quod suum est.

Iniusticia est qualitas animi, in uoluntate consistens, quæ non dat unicuiq; quod suum est.

Ira est qualitas animi consistens in uoluntate, quæ dolorem coniunctum habet cū cupiditate puniendi. Vel sic, Ira est dolor puniendi cupidus.

II Internæ qualitates non uidentur, sed opere, facto, et suis ex officijs cognoscuntur, ut ex perspicue dicendo cognoscitur rhetorica, ex unicuiq; dando quod suum est cognoscitur iusticia.

III Externa instrumenta sensu nō sequitur operatio, sed qualitatem eorum, ut oculus nō uidet, sed qualitas seu dispositio illa in oculo. Sic quidam cæci habent claros oculos, tamen non uident, qualitate illa corrupta aut impedita. Sic auris non audit, uerū qualitas illa in auri.

III Pertinent ad hoc prædicamentū uocabula quinq;



quinq; sensuum & earum rerum, quæ sensus inno-  
uent, ut uocabula colorum, album, nigrum: Sono-  
rum, altum, demissum, mugitus: Odorum, ut fragran-  
tia, crasseolentia: Sopororum, ut amaritudo, dulce-  
do: Tactuum, ut glabrum, asperum. Item artium no-  
mina, tam liberalium quàm aliarum, quæ assiduita-  
te discendi percipiuntur, ut Grammatica Rhetori-  
ca, figulina, equitatio. Item uirtutum & uitiorum  
nomina, ut prudentia, iusticia, fortitudo, modestia, im-  
prudencia, iniusticia. Postremo & affectus nomina,  
uiria, læticia, dolor, spes, metus.

### De relatione.

Relatiua sunt omnia uocabula indita rebus non  
à natura, sed alterius respectu, ut aurum in prædica-  
mento substantiæ est, calix aureus in prædicamen-  
to relationis, non propter materiam, uerùm propter  
usum. Sic acer arbor in prædicamēto substantiæ est,  
mensa uero ex acerno ligno in relatione. Gramma-  
tica in prædicamento qualitatis est, Grammaticus in  
relatione.

### De diuisione relatiuorum.

Sunt autem relationis uaria uocabula, quæ ordi-  
ne tanquam minus communia ad generaliora redi-  
genda sunt. Generales uoces hæ sunt, præcipue.

B 4 Natura



## DIALECTICA

Natura	Causæ & effectus, ut faber & ensis, orator & oratio, euāgeliū et cōsolatio & c. Itē calor, ut ignis calefaciēs & quæ calefacit.
Signa externa,	Fasces et magistratus, toga et sendator, cucullus & monachus
Patrocinium seu seruitus	Tutor, pupillus, patronus, cliens, dominus, seruus, hera, ancilla.
Consanguinitas	Pater, filius, frater, soror, nepos, neptis, atauus, proauus.
Coniugium	Sponsus, spōsa, gener, socer, socrus, nurus, coniunx, maritus.
Contractus,	Emptor uēditor, ēptio, uēditio, locator, cōductor, locatio, cōductio.
Cognata coherentia.	Mēdax, fur, temulētus, temerarius iustus, bonus poēta, mēdax, iuuenis inconstans, Item cōtraria, cœlebs, scortator, pudicus impudicus.
Sexus,	Mas, foemina.
Ætas.	Iuuentus, senectus, puer, adolescens, iuuenis, senex.
Conditio,	Pauper, diues, liber, seruus, ingenuus, libertinus.
Institutio.	Præceptor, discipulus, artifex, et qui discit artem.

Sub qua uel sub quo latent

His &



His & plura alia communia uocabula annumerare possunt, ad quæ redigantur uoces relationis. Porro uocabula relationis quædam oriuntur ex substantia, ut seruus, dominus: ut puta quando substantiæ uoces transferuntur ad aliquem usum.

Item relatiua sunt omnes actiones & effectus substantiarum, ut emptio, uenditio.

Quædam oriuntur ex qualitate, ut uocabula appellationum ab ipsis actibus, ut Grammaticus, Rhetor, Dialecticus.

Item collationum uocabula ex qualitatibus corporis, ut sanum, ægrum, album, nigrum.

Item cognata cum uirtutibus, ut pax, concordia, quæ cum amicitia cognationem habent. Præmium, gloria, honos, quæ uirtuti sunt uoces cognatæ. Itæ quæ aliquid affinitatis habent cum uitijs, ut discordia, tumultus: Tandem & affectus relatiua gignunt ut iratus, sedatus, lætus, tristis.

Quædam ex quantitate, ut uocabula similitudinis & dissimilitudinis: æquale, inæquale, maius, minus, par, impar, duplum, triplum.

Item temporum uoces, annus, mēsis, dies. Et hæc respectu prioris & posterioris.

## REGVLÆ.

I Omnia uocabula, quæ ad superiora prædicamenta referri non possunt, relatiua sunt.

B 5 II Plura



## DIALECTICA

II Plura uocabula sunt relationis, quàm aliorum prædicamentorum, quia in communi uita plerunq; nominamus res non tam à natura, quàm à respectu officiorum uel usus.

III Definitiones in hoc prædicamento petuntur ex officio & usu rerum, sed ita quòd correlatiuum, ut uocant, ferè semper adsit in definitione. Ut quid est pater? Responde, qui habet filium. Econtrà quid est filius? Responde, qui habet patrem. Emptio est cum merces certa pecunia emitur. Venditio est cum merces certa pecunia uenditur. Donatus est, qui non est indoctus. Indoctus est, qui non est doctus. Doctor est qui docet discipulum. Discipulus est qui discit à præceptore.

### De actione.

Actio est relatio ad id quod patitur. Pertinent huc omnia uerba actiuæ significationis. Item nomina uerbalia à uerbis actiuis descendunt. Item participia, ut amare, legere, lector, scriptor, lectrix, amans. Item ea uerba quæ significant motum ad locum, siue ea actiua, siue neutra sunt, cum ideo mouemur, ut aliquò perueniamus, ut ire, redire, currere, recurrere. Item ab his uerbalia, ut cursus, recursus. Spectant & ad actionem ea uerba, quæ actiue significant propter certum aliquem finem, ut edificare,



care, cuius finis est ædificium: pingere, cuius finis est pictura: belligerare, cuius finis est uictoria.

## REGVLAE.

I Actio & sequentia prædicamenta tantum species relationis sunt.

II Definiturus uocabula huius prædicamenti, relatio uel actio genus erit, ut quid est amare? Responde: Amare est relatio uel actio in amatum. Vel genus erit quæcunq; actiua uox: ut quid est lector? Est actor in eum qui legendo agitatur.

## De passione.

Passio est relatio patientis ad agentem. Huc pertinent uerba passiuæ: ut amari, legi. Item nomina & participia passiuè significantia: ut lectus, amandus, plicatilis, fissilis. Item quædam neutra (exceptis illis quæ modum ad locum significant, & quæ ad certum aliquem finem tendunt) significant enim neutra propemodum passionem.

## REGVLA,

In definitione hic relatio uel passio genus est, ut quid est amari? Responde: Amari est relatio uel passio ad amantem. Quid est lectus? Responde: qui à lectore est lectus.

## De ubi.

UBI circumstantia loci est. Locus autem hic est, qui occupat corpus: & ideo spectant ad hoc prædicamentum

mentum



## DIALECTICA

mentum uocabula quæ sunt loca, hoc est, quæ aliquid in se capiunt. Sic aduerbium domi, est in prædicamento ubi, non quia figuram ædificij aut ipsum ædificium significat, sed quia respicit ad locum, qui capit et cõtinet corpora. Pertinent huc omnia aduerbia loci, ut domi, foris, hic, illic, huc, illuc, hac, illac, hinc, illinc, sursum, deorsum, Romæ, Lubecæ. Item uoces circum loquentes aduerbia loci aut uicem illorum propemodum tenentes, ut in foro, in horto, in templo. Item nomina localia, ut planum, montosum. Item regionum nomina & urbium, ut Misnia, Græcia, Sigena, Colonia.

### REGVLA.

In definitione, locus uel relatio genus est, ut domi est locus uel relatio ad foris, uel domi esse, sit respectu non esse foris: & e contra. Celeber locus est, qui non est desertus: planus est locus, qui non est montosus.

### De Quando.

Quando est uox qua describitur circumstantia temporis, uel qua tempus à tempore separatur. Huius usus est apud autores in descriptionibus temporum. Pertinent huc aduerbia temporis, hodie, heri, nunc, cras. Item nomina omnia tēpus significantia, ut dies, nox, annus, mensis, hyems, uer, æstas, autum-

nus.



nus, pueritia, adolescentia, senectus, iuuentus, serenum, nubilum, festus dies, nefastus. Item officiorum tempora, ut tempus studendi, legendi, scribendi.

## REGVLA.

Definitionis genus est relatio uel tēpus, ut quid est dies? Responde, dies est relatio ad noctem, uel dies est tempus, quod dicitur respectu noctis. Alias sic: Dies est tempus tot uel tot horarum: uel dies est quicquid non est nox. Nox est quicquid non est dies.

## De situ.

SITVS est dispositio uel status corporis, uel iacere, stare, sedere, supinum esse, pronum esse, cubare. Pertinent huc uocabula gestuum corporis, stare, sedere, accubitus, sessus, pronitas, cubatio, recubitus, discubitus, curuum esse, claudum esse.

## REGVLA.

Omnia quæ corporis gestum significant, situs sunt: hi autem corporis gestus sunt uarij: nam alius est corporis gestus, quādo equito, alius quando curro, alius, quando sto, alius, quando sedeo. Genus hic in definitione situs est uel relatio, ut iacere est situs corporis, cuius contrarium est stare: uel iacere est relatio ad stare, uel quod sit respectu stantis.

## De habitu.

Habitus est qui adiacet rebus uestitus. Porro  
ocree



## DIALECTICA

ocrea in hoc predicamento sunt, non quia ex corio bubalo sum, sed propter usum & relationem uestiendi, uel quia ocrea uestitus sunt. Spectant huc nomina uestium: ut pallium, toga, thorax, tunica.

### REGULA.

Hic definitio habitum seu relationem ut genus sortitur: ut quid est pallium? Pallium est habitus corporis, quo uestitur seu tegitur ipsum corpus, ut tutum sit à tempore statum iniuria. Vel pallium est relatio ad eum qui pallio indutus est. Potest & uestitus loco generis poni in definitione: ut pallium est uestitus contra frigora. Dicuntur autem habitus nomina uestitus, quia habent & habentur: habent enim quos tegunt, & habentur ab illis qui eis teguntur.

### De definitione rei.

Quid sit definitio rei supra tractauimus, nunc ea quotuplex sit, dicemus.

Formule definitionum  
rei sunt quatuor. } Essentialis,  
Causalis,  
Quæ est ex partibus,  
Accidentalis

### De definitione essentiali.

Essentialis definitio est, quæ constat ex genere & differentia: uel est definitio sine accidentibus. Et cum ferè impossibile sit constituere definitionem sine accidentibus



eidemibus, ideo paucissimas huius generis defini-  
tiones habemus. Fortassis præter hominis definitio-  
nem nullã, de quâ tamẽ adhuc rixatur apud docto-  
res.

Essentiæ uocabulo significatur natura per sese.  
Substantiæ uocabulo natura uestita accidentibus.

Exempla huius definitionis.

Homo est animal mentem habens, uel homo est  
substantia corporea, animata, sentiens, mentem ha-

REGVLAE (bens.

I In hoc genere definitionis non est egrediendum  
in alia prædicamenta, unde genera & differentias  
petas, ut definiturus hominem, genus & differen-  
tiam ex substantia sumes. Genus est quod sit ani-  
mal, uel substantia corporea, differentia quod men-  
tem habeat.

II Abutimur essentiæ uocabulo & ad accidentia  
cum accidentia sine subiectis uel personis considera-  
mus, ut cum de essentia seu dignitate uirtutis, iusti-  
ciæ & aliorum accidentium loquimur sine perso-  
nis, quibus inhaerent aut inhaerere possunt. Sic abu-  
sive definitur uirtus essentialiter, quod sit habitus  
animi in uoluntate consistens, bonus. Iusticia, quod  
sit habitus uoluntatis bonus, consistens in animo.

De definitione causali.

Definitio causalis est, cum in causis definitio-  
nens



## DIALECTICA

nam colligimus. Et hæc proximè post essentialem definitionem describit naturam rei.

Materia	Ex qua aliquid fit, ut lignum è quo fit mensa.
Forma	Externa facies rei, ut tunica, mēsa.
Efficiens	Persona seu res faciens, ut Deus, faber.
Finis	Est utilitas propter quam aliquid fit, ut iustificatio fit pacis seu tranquillæ conscientie causa. Vestis tegendi corporis gratia.

Exempla causæ seu causalis definitionis.

### EXEMPLA.

**Materia:** Homo est animal, quod mente & corpore constat. Cereuisia, est potus ex aqua, lupulo, et hordeo. Tunica est uestis ex panno consuta.

**Formæ:** Cereuisia est potus coctus. Hic coctus forma est. Hoc argentum est numus ualens triginta albis, pro Ioachimico grosso. Hic numus forma est. Aur eius Rhenanus est ualēs tribus et uiginti grossis  
Misnensi



Misnensibus. Pallium est tunica exterior ipsius corporis. Hic tunica forma est.

Efficientis: Humanæ leges sunt institutiones superioris ac inferioris magistratus. Lex diuina est, quam deus instituit per Moſen. Fides est donum spiritus sancti. Homo est quem finxit deus ex limo terræ ad ſui imaginem.

Finis ſeu effectus: Iuſticia est uirtus dans unicuique quod ſuum est. Fides est qua iuſtificamur, ut habeamus pacem apud Deum in conſcientijs. Crux est quæuis afflictio ſiue interna, ſiue externa, ut ea probetur fides noſtra, & cognoscatur charitas dei erga nos.

#### REGVLA.

Ex omnibus ac ſingulis cauſis licet definitionem colligere, abſolutiſſimæ autem ſunt, quæ ex omnibus cauſis conſtant.

#### Exempla definitionum per omnes caſus.

Sacramentum altaris est uerum corpus & uerus ſanguis domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub pane & uino nobis Chriſtianis ad manducandum & bibendum ab ipſo Chriſto inſtitutum, ut per fidem in hæc uerba promittentis Chriſti, quod pro uobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum, habeamus condonationem peccatorum, uitam & iuſticiam.

C Materie







tum discriminis sit inter finem & utilitatem rei propter quã aliquid fit, et inter officiũ, seu effectũ rei.

### De definitione ex partibus,

Definitio ex partibus, quæ ex rei partibus seu membris constat, ut Euangelium est prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi. Sunt enim pœnitentiæ & remissio peccatorum partes Euangelij. Item pœnitentiæ est, quæ uera contritione morimur peccatis, et fide resurgimus ad iusticiam. Sunt enim partes pœnitentiæ, contritio & fides seu mortificatio & uiuificatio. Matrimonium est copula uiri, et mulieris. Virtus est quæ constat prudentia, iusticia, fortitudine, & modestia.

### REGULA.

Huius definitionis usus est in amplificationibus. apud autores. Exemplum est in epistola, ad Ephes. cap. 6. de armatura.

### De definitione ex accidentibus.

Definitio ex accidentibus est ex genere & accidentibus collecta. Estq; hæc definitio remota quædam rei per sua accidentia descriptio. Hæc Prophetis sanctis & poëtis familiaris est. Sic David Psalmo. 1. ab accidentibus definit uirum beatũ, inquiens: Beatus uir qui non abiit in consilijs impiorum, &c. Vergil. E glo. 1. definit uesperum ab accidentibus.

C a

Maio



## DIALECTICA

*Maioresq; cadunt altis de montibus umbrae.*

*Id est, Vesperum est tempus, quo umbrae sunt longissimae. Sic Cato mortem definit.*

*Ne timeas illam, quae uitae est ultima finis.*

*Ouidius ab accidentibus hominem descripsit primo Metamorpho. libro.*

*Os homini sublime dedit, caelumq; videre iussit, et erectos ad sidera tollere uultus.*

*Vergilius. I. Aeneidos.*

*Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,  
Carthago, Italiam contra, Tyberinaq; longe  
Hostia, diues opum, studijsq; asperrima belli.*

### REGVLA.

*Pertinent ad hanc definitionem euidentes descriptiones rerum apud poetas. Et plerunq; herbarum, radicum, locorum descriptiones.*

### De diuisione.

*Diuisio est rei per partes explicatio, Et ut natura rei definitione explicatur, ita officia eius per diuisionem. Cuius summus est usus, ne confuse dicamus, Est autem haec quadruplex.*

Diuisio { *Vocabuli,  
Generis in species,  
Totius in sua membra,  
Enumerationis.*

*De diuisi*



## De diuisione uocabuli.

Diuisio uocabuli est, uocem, multa significantem exponere. Nam perplexitate uocabuli sæpe decipimur, ut erremus. Ita canis est nunc animal terrestre, nunc piscis, nunc astrum. Nepos nunc consanguineum significat, nunc luxuriosum. Sic fides aliàs ciuiler accipitur pro constantia in dictis & factis.

Aliàs theologice accipitur pro fiducia in promissiones de Christo. Aliàs historialiter pro credita historia. De hac diuisione docent Grammatici, ubi de polysimis agunt.

## De diuisione generis in species.

Diuisio generis in species est facilis, cognitio quinq; uocibus, quid genus, quid species sit: ut si animal genus diducas in hominem, leonem, asinum, ut species: Arborem in ulnum, pirum, pomum, Elementum in aërem, ignem, aquam & terram. Et uocatur hæc diuisio apud Rhetores distributio.

## De diuisione totius in partes.

Tertia est diuisio, qua diuidimus totū in sua membra seu partes, & uocatur partitio. Sic corpus ut totum, diuiditur in caput, thoracem, uentrem, pedes, manus, ut membra seu partes.

Pœnitentia in mortificationem & uiuificationem seu contritionem & fidem.



## DIALECTICA

*Euangelium in predicationem poenitentiae & remissionis peccatorum.*

*Peccatum in originale & actuale.*

*Lex in diuinam & humanam.*

*Impletio legis in internam & externam.*

*Sacramentum in baptismum, eucharistiam & absolutionem.*

*Potestas in ecclesiasticam quae consistit in docendo Euangelio & administratione sacramentorum,*

*Et in ciuilem, qua reguntur & domantur subditi.*

*Domus in fundamentum, parietes, tectum.*

### De enumeratione.

*Enumerationis diuisio est, cum partimur subiectum in sua accidentia, ut cum dico Ciceronem philosophum, oratorem & astronomum fuisse, Alexandrum uictoriosum bibulum, &c. Carolum Caesarem placidum, benignum, mitem, humanum, magnanimum, uictoriosum. Huius usus est in genere demonstratiuo apud Rhetores, cum laudamus aut uituperamus personas.*

### Appendix de usu totius diuisionis.

*Usus diuisionis est apud autores in amplificandis magnis causis.*

### Appendix de usu totius definitionis.

*Usus definitionis est, quod ex definitionibus tanquam*

*quam*



quam ex fonte argumenta omnia deriuemur & 1<sup>o</sup>  
 ea nascatur oratio.

Alia de definitione & diuisione.

Ex definitione & diuisione formam nunc diale-  
 ctici suam docendi methodum, quam alias didacti-  
 cam uocant. Et ad hanc pertinet sequentes  
 questiones.

Quid res sit 7

Quæ causæ

Quæ partes

Quæ officia seu effectus per

Quæ contraria ]

] Definitionem,

[ Diuisionem,

Hic docendi modus de rebus ut est simplicissi-  
 mus, ita naturæ & accommodatissimus & propri-  
 issimus est.

Exempla methodi.

Fides est certa fiducia in promissiones de Chri-  
 sto, iustificans omnes coram Deo, qui eam certam &  
 indubitatam habent.

Causæ.

Causæ fidei sunt, spiritus sanctus & uerbum. Nam  
 si des spiritus sancti donum est. Hic uero non donat  
 fidem nisi per ministerium uerbi ad Romanos de-  
 cimo, Fides ex auditu est, auditus autem per uer-  
 bum Dei.

C 4

Partes





## DIALECTICA

### Partes.

*Hæc fides, de qua hic loquimur, non finditur in partes. Est enim unus quidam motus animi, intuens in promissiones de Christo & assentiens illis.*

### Effectus seu officia.

*Iustificare credentes coram deo exēplo Abrahæ Gene. 15. Credidit Abraam deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Reddere tranquillas consciencias, ad Romanos 5. Iustificati igitur fide pacem habemus.*

### Contraria.

*Contraria fidei omnia esse possunt, quæ prædictis aduersantur, ut adserere fidem tantum esse noticiam historiæ de Christo. Adserere uirtutem aut qualitatem in nobis esse ipsam fidem.*

### Aliud de iustificatione.

*Iustificatio est gratuita imputatio peccatorum in Christo, quæ fide impetratur. Et est acceptatio personæ, ad uitam æternam.*

### Causæ.

*Causæ iustificationis sunt: Gratuita imputatio ex misericordia dei, est fides quæ apprehendit misericordiam. Hæ causæ geminæ apparent in exemplo Abrahæ iustificati. Hic quia credit promissæ misericordiæ, ideo iustificatur, ideo imputatur ei iusticia. Has causas opponit Apostolus ad Roman. 4. debito mercedi & merito.*

### Partes



## Partes.

Hæc iustificatio, de qua hic agimus, non secatur, in partes. loquimur enim hic de iustificatione ualente coram Deo, quæ consistit in consciencijs de remissione peccatorum. Iustificatio legalis aliò respicit, quæ redimebat tantum iusticiam coram politica Mosis.

## Effectus seu officia.

Accipere remissionem peccatorum. Nam in hoc iustificamur.

Habere pacem in conscientia, ad Roma. 5.

Certo statuere nos placere Deo.

Scire nobis donatum spiritum sanctum, qui regat nos.

Scire nos certos esse de uita æterna, & ideo iustificatos.

## Contraria.

Adserere iustificationem significare in nobis qualitatem aut infusionem habitus.

Adserere iustificationis causam esse meritum, opera aut dignitatem nostram.

Adserere Patres lege naturæ fuisse iustificatos, Iudæos lege Mosaica, nos uero nostra quadam lege iustificari.

## Aliud de iusticia ciuili.

C 5

Iusticia



## DIALECTICA

Iusticia est uirtus, dans unicuique quod suum est.  
Causa.

Animus seu uoluntas, quae consilio seu recta rationi ipsius intellectus obtemperat, & postea gignit iustas actiones.

### Partes:

Partes iusticiae duae sunt: Est enim iusticia à qua boni & iusti appellantur. Et est iusticia quae dicitur beneficentia, Cicero. 1. Offic.

Species iusticiae idem recenset lib. 2. de inuentione, quae sunt, religio, pietas, gratia, uindictio, obseruantia & ueritas.

### Officia seu effectus.

Unicuique dare quod suum est.

Neminem ledere nisi laesit, iniuria,

Communibus pro communibus uti, priuatis autem ut suis.

Beneficentiae haec officia esse possunt.

Communes utilitates in medium adferre mutatione officiorum.

Dare & accipere.

Inuare alios artibus, opera, facultatibus.

### Contraria.

Contraria sunt quae praedictis aduersantur.

Regula de contrariis colligendis.

Gon



Contraria debent à tota methodo colligi.

Primum quæ definitioni contrariantur:

Deinde quæ causis: Tertio quæ partibus:

Quarto quæ officijs seu effectibus.

Sic definitioni ipsius fidei contrariū est, dicere fidē esse tanē notitiā in nobis ipsius historiæ de Christo.

Causis contrarium est, fidem esse qualitatem in nobis aut ex nobis.

Partibus contrarium est diuidere fidem cū scholasticis, in fidem formatam, infusam, & acquisitam.

Officijs tandem est contrarium, negare fidem, iustificare, aut non solam.

### De propositione.

Propositio est perfecta sententia, nomine & uerbo constans principaliter, ut Deus seruat. Neq; refert siue propositio paucis siue multis uerbis confletur, ut

Formosum postor corydon ardebat Alexia.

Propositionis due sunt partes.

Subiectum est, prior pars in constructione, ut nominatiuus: Cæsar uicit Pompeium, Petrus legit.

Prædicatum est posterior pars in constructione, ut uerbum: Cæsar subiectum est, uicit prædicatum.

Appendix



## DIALECTICA

### Appendix.

Autores prædicatum sæpe permittunt, ut Psal. 1. Beatus uir qui non abiit &c. Hic beatus uir, prædicatum est: Qui non abiit &c. subiectum. Item Pro- uerb. 3. Beatus qui sapiētiam inuenit. Beatus hic prædicatum est: Qui inuenit sapientiam, subiectum. Por- rō non semper uerbum est prædicatum, quod non- nūquam alijs uocibus circumloquimur, interceden- te copula est: ut iusticia est optimum bonum: uirtus est donum deorum: fides est constantia in dictis & factis.

### Diuisio propositionum prima.

Propositio duplex est.

Catégorica est oratio, in qua simpliciter alte- rum tribuitur alteri, ex nomine & uerbo conflata, ut Cæsar uicit Pompeium. Æneas est pius.

Hypothetica est oratio subiunctiua, uel qua lo- quimur sub conditione, ut si honestè uixeris, bene tibi erit.

### Diuisio propositionum secunda.

Propositionum alia Affirmatiua, alia Negatiua.

Affirmatiua, quæ affirmat aliquid, ut Cæsar est clemens. Consul est uir grauis:

Negatiua, in qua est negandi particula: ut Cæsar non est clemens. Consul non est uir grauis. Non datur



datur ad Musas currere lata uia.

Diuisio propositionum tertia.

Propositio  
nes alie

Vniuersales, quæ habent uniuersalia signa: ut omnis homo mēdax est. Nemo sine uitio nascitur.

Particulares, quæ habent particularia signa, ut quidam pueri sunt literarum studiosi.

Indefinitæ, in quib. in uniuersum de re aliqua dicitur sine apposito signo: ut, uirtus est summum bonum. Qui credit in me, habet uitam æternam. Hæ in sacris frequenter occurrunt, & habent uim uniuersalium.

Singulares, in quibus subiectū est nomen proprium: ut, Corydon ardebat Alexin. Petrus scribit.

De signis.

Signa	} Uniuersalia	Omnis, cunctus, nemo, nullus, nihil, quisquis, qualisqualis, quantum quantum, quotquot.
		} Particularia

Diui



## DIALECTICĀ

### Diuisio propositionum quarta

Propositio { Vera quæ cū re consentit, ut ignis  
est calidus, homo loquitur.  
{ Falsa quæ cū re non consentit, ut  
piscis uolat, canis loquitur.

### Diuisio propositionum quinta.

Propositio Necessaria, in qua est definitio aut pars definitionis, uel genus, uel differentia, uel proprium, ut homo est animal rationale, quod loqui potest. Equus hinnit. Fides iustificat. Est enim hinnitus proprium equi, et fidei proprium iustificare. Sunt autem hæ propositiones natura ueræ, neque possunt mutari. Et rectè dicuntur necessariae propositiones de natura rei. horum usus est in argumentis seu probationibus ab honesto.

Propositio Contingens, quando accidentia subiectis tribuuntur: uel quando consequentia non colliguntur necessariò ex præcedentibus, ut lapis est albus, Vergilius est poëta, Paris iuuenis amat. Huius usus est in argumentis coniecturalibus. Cæterum uerum contingens non facit necessariam probationem, multa tamē cōtingētia pbant aliquid fieri, ut Dauus in Andria Terentij, multis contingentibus à coniecturis probat, non iri datum Pamphilo uxorem.

De



## De usu propositionis.

Vsus propositionis est, ut in magnis & prolixis orationibus, totius rei summam paucis uerbis complectamur. Summam enim rei, comperta propositione, melius intelligimus, & facilius iudicare possumus de tota oratione et omnibus argumentis, ut summa est propositio lib. primi Æneidos, Æneam ni tempestatum ex Sicilia delatum Carthaginem.

## De oppositionis quatuor speciebus.

Oppositio est duarum propositionum, in quibus eadem subiecta, & prædicata manent, dissensio.

Contrariæ sunt duæ uniuersales. Altera affirmatiua, altera negatiua, ut

Omnes homines sunt mortales.

Nemo hominum est mortalis.

Hæ nunquam simul ueræ esse possunt, si sunt ex definitionis partibus conflatae. Falsæ autem simul esse possunt in contingendi materia.

Subcontrariæ, sunt duæ particulares: Altera affirmatiua, altera negatiua, ut

Quidam homines fauent Euangelio,

Quidam homines non fauent Euangelio.

Hæ simul ueræ esse possunt in contingenti materia. Subalternæ particulares sunt ex uniuersalibus collectæ, ut

Omnes



## DI ALECTICA

Omnes homines nati sunt ad miseriam.

Quidam homines nati sunt ad miseriam

Hæ inter se non dissentiunt

Contradictoriæ sunt uniuersales affirmatiuæ, et  
particulares negatiuæ, ut

Omnis iniuria temeraria est.

Quædam iniuria non est temeraria.

Aut duæ singulares, ut

Voluptates sunt mortales,

Quædam voluptates non sunt mortales.

Aut duæ indefinitæ, ut

Æneas pius est,

Æneas pius non est.

Hæ maxime inter se dissentiunt, neq; unquã aut ueræ  
aut falsæ simul esse possunt.

### Appendix?

Ratio discernendi oppositas propositiones, per  
omnes oppositionis species, indistractis unius manus  
digitis, excepto pollice, monstrari potest, quare non  
opus est depicta aliqua figura.)

### De conuersione.

Conuersione est propositionum duarum inter se,  
quantum ad uerborum structuram attinet, præpo-  
stera mutatio.

Conuersione



## Conuersio duplex.

Simplex, quando propositio simpliciter uertitur manentibus iisdem signis, ut: Nullus homo est lapis. Nullus lapis est homo. Vertitur hoc modo uniuersalis negatiua & particularis affirmatiua, ut: Nulla uirtus est inhonesta, & nihil inhonestum est uirtus. Quidam monachi sunt casti, & quidam casti sunt monachi.

Accidentalis cum non manent eadem signa, hæc ex uniuersalibus colliguntur particularia, ut Omnis homo est animal, & quoddam animal est homo.

## Appendix de usu conuersionis

Vsus conuersionis est plerunq; in epiphonematibus, & seruit probationibus sæpe conuersio, & ut obscuræ propositiones illustremur.

## De æquipollentijs.

Æquipollentiæ sunt mutationes sermonis alijs atq; alijs uerbis, ut:

Nemo non trahitur uoluptate,

Trahit quemq; sua uoluptas.

Omnis forma est periculosa ad tutandam pudicitiam,

Nulla non forma periculosa est ad tutandam pudicitiam.

## Appendix.

D

Conuers



## DIALECTICA

Conuersiones & æquipollentiæ à Grammaticis  
petendæ ueniunt. Sum enim aliud nihil, quàm lo-  
quendi rationes.

### De argumentatione.

Argumentatio est probatio institutæ propo-  
siti-  
onis de qua ambigebatur.

### De usu argumentationis.

Ufus argumentationis est, ut ad eius formam tan-  
quam ad regulam quandam referamus causarum ar-  
gumenta, in iudicando de illorum coherentiâ, non  
ut illis utamur in dicendo aut scribendo iuxta Dia-  
lectices nudum præscriptum. Concipit enim Diale-  
ctica argumentum quàm potest simplicissimè & ic-  
iunè tantum. In dicendo autem utendum est copia  
& elegantia. Sic Cicero in oratione pro Milone, lon-  
ga hac argumentatione utitur.

Vim uipellere licet,

Milo occidens Clodium uim repulit uii,

Igitur Milo iure Clodium occidit.

Hanc argumentationem non nudè ponit Cicero,  
sed diffundit eam per totam orationem, in magna co-  
pia et elegantia, nihil non rerum cognatarum, cum  
ad maiorem, tum ad minorem, tum etiam ad conclus-  
sionem trahens, quibus exornat argumentationem  
alioqui nudam ac simplicem, uerum ut coherentiâ  
ord



orationis plenè perspiciamus, et prolixitate uerborum non decipiamur. Igitur tota oratio ad prædicationem argumentationem est referenda.

Sic probè intellecturus sextum, septimum, et octauum caput ad Romanos, hæc argumentatio erit tibi considerata,

Iustificati debent habere bona opera,

Vos estis iustificati,

Igitur debetis habere bona opera.

Hanc argumentationem non simpliciter profert Paulus, sed admiscet alias atq; alias quæstiones, quas obiter soluit. Item alia atq; alia argumenta, collationes, ambiteses &c. Cæterum nuda argumentatione perspecta atq; obseruata, non seducimur turba exornationum et digressionum.

Ad eundem modum ut intelligas quartum caput ad Romanos, adeoq; ferè bonam epistolæ partem, ad has argumentationes diligenter respicies.

Quicquid iram operatur, non iustificat,

Lex iram operatur,

Ergo lex non iustificat.

ALTERA.

Quicquid facit dubitantes conscientias, non iustificat,

Lex facit dubitantes conscientias,

Ergo lex non iustificat.

D a Hc



## DIALECTICA

Hæ argumentationes erutæ ex proluxa epistola,  
totum negotium reddunt planius & apertius.

Et Ciceronis orationem pro Archia, nemo sanè  
capiat, nisi sequentis syllogismi adiuuamine.

Nemo deditus luxui est studiosus

bonarum artium,

Cælius est studiosus bonarum artium,

Ergo Cælius non est luxui deditus.

Contingit autem utilis hic de eruendis argumen-  
tationibus usus non solum in magnis et proluxis scri-  
ptis, sed etiam in illis non adeò longis. Sic Christi rea-  
sponsum Matthæi. 12. nemo facile intelliget, qua  
respondet Pharisæis damnantibus eum, tanquam  
illum, qui dæmonia in nomine Beelzebub eijceret,  
cum propter miram breuitatem, tum propter alia ar-  
gumenta admixta, nisi quis totam disputationem ad  
hunc syllogismum reuocaret.

Filij uestri eijciunt dæmonia præ-

sidio spiritus sancti,

Ego sum ex filiis uestris,

Ergo & ego eijcio dæmonia præ-

sidio spiritus sancti.

Et quanquam plura argumenta aspersa sunt, quib-  
us probat Christus se in nomine Beelzebub non e-  
ijcere dæmonia, tamen hoc tanquam principali re-  
guntur alia & confirmantur.

At hunc



At hunc modum & locū Matth. ca. 6. facilius intelliges de thesauro, obseruata hac argumentatione  
 Nemo sollicite cogitando potest addere ad statueram suam unum cubitum.

Ergo cura pro uictu uana est.

De speciebus argumentationis.

Species argumentationis sunt quatuor, Syllogismus, Inductio, Enthymema, Exemplum.

De Syllogismo.

Syllogismus est ex quo necessaria conclusio, idque ex duabus propositionibus colligitur, ut

Omnis ueritas parit odium,

Prædicatio Euangelij est ueritas,

Ergo prædicatio Euangelij parit odium.

Conclusio est ipsum thema: ut, quæstio hodie est seu ipsum thema, An sola fides iustificet? Hoc si probamus, ex duabus propositionibus præmissis,

Quicquid tranquillat conscientias, iustificat.

Fides sola tranquillat conscientias,

Ergo sola fides iustificat.

Hic uides ipsum thema sortiri conclusionis locū.

De partibus syllogismi.

Partes syllogismorum sunt tres termini. Maior est qui tantum in priore propositione ponitur, ut omnis qui credit in Christum, pius est.

D 3 Minor



## DIALECTICA

Minor, qui tantum ponitur in posteriore propositione ut Petrus credit in Christum.

Medius est, qui usurpatur in utraq; propositione, ut: Ergo Petrus pius est.

### APPENDIX.

Ex tribus terminis fiunt duæ propositiones, ex quibus nascitur conclusio, ut in præcedenti syllogismo: Qui credit in Christum, est medius terminus: hic coniungit terminos, Pius & Petrus.

### ITEM,

Virtus hic in mundo beat homines,  
Iusticia est uirtus hic in mundo existens,  
Ergo iusticia beat homines.

Virtus est medius terminus, qui positus bis ante conclusionem, coniungit reliquos duos terminos, iusticiam, & beare homines.

Valde prodest pueros assuefacere, ut ad prædictum modum terminos inquireant. Nam ex terminorum pluralitate sæpe accidit, quòd falsus syllogismus pro uero uenditetur.

Regulæ contra uanos & inutilis syllogismos.

Ex solis negatiuis nihil sequitur, ut:

Nulla uirtus est inhonesta,

Nulla iniusticia est uirtus,

Ergo nulla iniusticia est inhonesta.



2 Ex solis particularibus non potest effici syllogismus, ut:

Quidam homines sunt casti,  
 Petrus est homo,  
 Ergo Petrus est castus.

## APPENDIX.

Casu nonnunquam ex particularibus & negatiuis solis sequitur conclusio, sed hoc non est perpetuum, ut:

Nullum animal, excepto homine, ratione præditum est.  
 Nullus lapis est animal,  
 Ergo nullus lapis ratione præditus est.

## ITEM.

Quædam uirtus est beneficentia,  
 Iusticia est uirtus,  
 Ergo iusticia est beneficentia.

3 In syllogismo non debent esse plures termini, quæ tres: ut hæc ratiocinatio non cohæret.

Fortes non uincuntur nisi à fortioribus,  
 Hannibal & Hasdrubal fuerunt fratres,  
 Ergo Hannibal & Hasdrubal non sunt nisi à fortioribus uicti.

Quatuor sunt hic termini, Fortes, à fortioribus, Hannibal & Hasdrubal, & fuerunt fratres.

## ITEM.

Omnes magistratus debent uim iniustam uel pel-  
 lere,  
 Petrus est apostolus,

D. 4

Ergo



## DIALECTICA

Ergo Petrus debuit uim à Christo pellere .

Quatuor sunt termini magistratus , ui depelle-  
re uim, Petrus & apostolus.

ITEM ex amphibolis .

Sacerdotes ueteris testamenti sacrificarunt exter-  
nas uictimas pro peccatis,

Homines Christiani sunt sacerdotes,

Erga homines Christiani sacrificabunt externas  
uictimas pro peccatis.

Hic ex amphibologia quatuor sunt termini. Nam  
in maiore sacerdotes ad Mosis regnum spectant, qd  
nunc cessauit . In minore sacerdotes noui testamenti  
intelliguntur, & sunt spirituales, offerentes spiritu-  
ales hostias.

Item ex confusione substantiæ  
& accidentium.

Omnia emisti quæ erant uendibilia.

Album emisti,

Ergo album erat uendibile.

Sub uoce omnia, quæ nihil excludit, tanquã sub  
uocabulo substantiæ, omne id intelligitur, quod emi-  
tur: album accidentis est.

ITEM.

Quid quid emisti, comedisti,

Crudum emisti,

Ergo crudum comedisti.

ITEM



## ITEM.

Quod non perdidisti habes,  
Cornua non perdidisti,  
Ergo cornua habes.

Et hic, quod, substantiæ nomen est. Quod, enim  
significat hic, quam rem, non qualem. Cornua uero,  
rem qualem.

## De figuris syllogismorum.

Figure syllogismorum tres sunt, { Prima,  
Secunda,  
Tertia.

## De prima figura.

Prima figura est simplicissima accommodatio cau-  
se ad conclusionem, et est naturalis. Est autem in  
prima figura, medium in maiori subiectum, in mino-  
ri prædicatum.

## De modis.

Modi dicuntur, quod uocabula per se nihil signi-  
ficant, sed quod ad eorum nomenclaturam syllogis-  
mi disponuntur.

Modi primæ Figure quatuor sunt, { Barbara,  
Celarent,  
Darii,  
Ferio.

## De uisum odorum

D S Ex



## DIALECTICA

Ex modorum uocalibus estimantur propositiones, ubi

A Nota est uniuersalis adfirmatiua,

E Nota est uniuersalis negatiua,

I Nota est particularis adfirmatiua.

O Nota est particularis negatiua.

De diuisione modorum.

Uniuersalis	└	Uniuersalis,
Particularis	est modus	Particularis,
Affirmatiuus	quādo con	Adfirmatiua,
Negatiuus	clusio est	Negatiua.

## REGVLAE.

1. Conclusio semper fit particularis, si altera propositionum sit particularis.
2. Conclusio negatiua sit, altera propositionum negatiua existente.

De dispositione syllogismorum primæ figuræ,

Ad dispositionem syllogismorum primæ figuræ, satis est puero scire, ex magis communioribus, et minus communioribus uocibus syllogismum componi. Illæ maiorem occupant, hæ minorem. Voco autem magis communiora uocabula, quæ in tractatione quinque uocum, genera minus communiora, quæ ibidem species appellauimus, ut:

Magis



Magis communia	Animal	Minus communia.	homo, uacca, canis,
	Arbor		pirus, pomus, ulnus.
	Elementū		ignis, aër, aqua, terra.
	Ars		Grammatica, rhetorica.
	Metallum		Aurum, argentum, ferrum,
	Adfectus		ira, leticia, dolor.
	Frumentū		hordeum, triticum, auena.
	Malus		Pharisæus, sceleratus, impius, anabaptista,
	Homo		Petrus, Paulus.

His obseruatis non est difficile syllogismum primæ figuræ componere, modò & præcedentia præcepta fideliter teneas. Exempli gratia: Arbor magis commune uocabulum est, uel genus: pirus minus commune est, uel species. hinc talis potest confici syllogismus,

- BAR Omnis arbor in se uitam habet.  
 BA Omnis pirus est arbor,  
 RA Ergo omnis pirus in se uitam habet.

Item adfectus magis commune est uocabulum uel genus. Dolor minus commune est uel species. Ex his talis sit syllogismus in Celarent,

- CE Nullus adfectus prodit sine impetu.  
 LA Omnes dolores sunt adfectus,  
 RENT, Ergo nulli dolores prodeunt sine impetu.

Item



## DIALECTICA.

Item homo communius est uocabulum quàm Petrus, hinc talis syllogismus nascitur in Darij.

**DA** Omnis homo corde dolens de peccatis, gratiam consequitur,

**RI** Petrus est homo,

**I** Ergo Petrus dolens corde de peccatis, gratiam consequitur.

Item malus communius est uocabulū, continens sub se uarias hominū species, phariseos, sceleratos, impios, Turcas, Christianos in speciem, Anabaptistas &c. hinc talis syllogismus potest fieri in Ferio.

**FE** Nemo malus fert lucem,

**RI** Anabaptistæ sunt mali,

**O** Ergo Anabaptistæ non ferunt lucem.

## APPENDIX.

Patet nunc ex præcedentibus exemplis, simplicissimam & rectissimā rationem esse disponendi syllogismos in prima figura, si magis cōmunibus in maiore uocabulis, subieceris in minore minus cōmunia. Possunt autē appellari magis cōmunia uocabula oīa illa, quæ aliquot uoces sub se continent: ut uirtus cōtinet sub se iusticiam, prudentiam. Uocabulum iusti, coram Deo iustos et corā hoībus. Vox impij, phariseos, hypocritas, inimicos uerbi. Sic & malus uarias hominū species sub se habet. Res diuina, cōtinet sub se Verbum Dei, præcepta Dei, leges, magistratus &c.

EX



Ex quibuscunq; igitur uolueris magis et minus communibus uocabulis, poteris sine omni labore Syllogismum componere, ut,

BAR Omnes res diuinæ sunt colendæ,

BA Omnia præcepta Dei sunt res diuinæ,

RA Ergo omnia præcepta Dei sunt colenda.

ITEM.

Nulla res diuina est repudianda,

Verbum dei est res diuina,

Ergo uerbum Dei non est repudiandum.

ITEM

Omnis res diuina est amplectenda,

Omnes leges magistratum sunt res diuinæ,

Ergo omnes leges magistratuum sunt amplectende.

APPENDIX,

Facit ad dispositionem syllogismorum primæ figure, scire maiorem plerunq; esse insignem ac communem quandam sententiam, ut,

Nulla gloria paratur sine inuidia,

Restitutio bonorum studiorum est gloria,

Ergo restitutio bonorum studiorum non caret inuidia.

ITEM.

Obsequium parit amicos,

Adulari est præstare obsequium,

Ergo adulari parit amicos.

ITEM



DIALECTICÆ

ITEM.

Omnis ueritas odium parit,  
Prædicatio Euangelij est ueritas,  
Ergo prædicatio Euangelij parit odium?

De secunda figura.

Secunda figura paulò remotius medium à cōclis  
sione colligit: in qua medium est prædicatum in ma  
iore ac minore. Est autem usus syllogismorū huius  
figuræ apud autores in coniecturalibus argumen  
tis et in deliberationibus, ut:

Nullus uerè amplectitur uerbū q̄ nō cōmunicat,

Falsi Euangelici non communicant.

Ergo falsi euāgelici nō uerè amplectūtur uerbū

ITEM in deliberationibus.

Thema sit: Num liceat Christiano contendere  
coram iudicibus?

Nihil impium est, nisi quod uerbo aduersatur.

Contendere in iudicio non aduersatur uerbo.

Ergo contendere in iudicio non est impium.

De modis secundæ figuræ.

Modi secundæ figuræ } Cesare  
                                  } Camestres  
                                  } Festino  
                                  } Baroco.

REGVLA.

COB



Conclusio in hac figura semper est negatiua.

De dispositione Syllogismo-  
rum secundæ figuræ.

Difficilius est in hac figura certam aliquam di-  
spositionem præscribere. Tamen dupliciter uiden-  
tur huius figuræ syllogismi cõponi posse. Ex effecti-  
bus seu officijs rerum & personarum. Deinde ex cõ-  
iunctionum causalium præsidio, quæ causas effectus  
um perhibent. Exempli gratia in Camestres.

CA Omnes liberales artes reddunt ciuiles hoïes,  
MES Nulla manuaria artificia reddunt ciuiles hoïes,  
TRES Ergo nulla manuaria artificia sunt artes libe-  
rales.

Exemplum de coniunctione causali.

Nulli contemptores uerbi saluabuntur,

Omnes pij saluabuntur,

Ergo nulli pij sunt contemptores uerbi.

Hic syllogismus ex cõiunctione causali sic colligitur:  
Pij saluabuntur: Effectus hic est. Quia nõ cõtemnunt  
uerbũ: Hæc causa ẽ effectus ex cõiunctione causali.

Appendix de dispositione.

Forma itaque componendi syllogismos huius fi-  
guræ sic se habet: In subiecto Maioris uox ponit-  
tur, cuius effectum seu officium pones in prædicato  
Maioris. Et hic effectus est contrarius effectui in  
Minoris



## DIALECTICA

**Minoris prædicato.** In subiecto minoris locabis uocem contrariam uoci positæ in subiecto Maioris. In prædicato Minoris pones effectum seu officium subiecti Minoris. Et hic effectus erit contrarius effectui in Maioris prædicato. Deinde addes conclusionem, quæ indicabit contraria subiecta in utraq; propositione, et habebis secundæ figuræ syllogismū. Est autem hæc dispositio generalis, seruiens cõmuniõibus syllogismis, qui ab esse aliquid ad non esse colligunt.

Exemplum in Cæsare.

**CAE** Nulli impij possidebunt regnum Dei,

**SA** Omnes pij possidebunt regnum Dei,

**RE** Ergo nulli pij sunt impij.

Subiectum Maioris est uox impij. Effectus qui sequitur impios, est in prædicato Maioris, nimirum non possidere regnū Dei. Et hic effectus contrarius est effectui in prædicato Minoris. In Minoris subiecto est pij uox cõtraria uoci in subiecto Maioris. In prædicato Minoris est effectus qui manebit pios, uidelicet possessio regni Dei. Et hic effectus est contrarius effectui in prædicato Maioris. Inde sequitur necessaria conclusio, quæ continet uoces subiecti in utraq; propositione contrarias.

**CA** Omnes mali oderunt iusticiam,

**MES** Nulli boni oderunt iusticiam,

**TRES** Ergo nulli boni sunt mali.

Eandem



Eandem dispositionem & hic uides. Effectus maiorum est odisse iusticiam, contrarius effectui maioris. Bonorum, non odisse iusticiam, contrarius effectui minoris. Voces utriusq; subiecti contrariae sunt, ut boni & mali. Conclusio repetit contrarias uoces utriusq; subiecti.

**Fe** Nemo candidus sui ipsius encomia effert,  
**sti** Eurialus sui ipsius encomia effert,  
**no** Ergo Eurialus non est candidus.

Et hic effectus utriusq; praedicati sunt contrarij, sicut & uoces utriusq; subiecti. Et quauquam Eurialus non potest opponi candido, quantum ad uoces attinet, tamen intellectu opponitur Eurialus candido. Peccat enim contra candiditatem, aut est persona non candida. Conclusio repetit contrarias uoces, personam non candidam, & candidum.

**Ba** Io. 8. Omnes qui liberi sunt, filius liberat,  
**ro** Phariseos non liberat filius,  
**co** Ergo Pharisei non sunt liberi.

Neq; alia est hic dispositio quam in praecedentibus syllogismis. Subiecta maioris & minoris contrarias uoces habent, liberos, & personas phariseorum non liberas. Praedicata utriusq; propositionis contraria sunt, idq; eorum qui ex effectuum diuersitate liberantur & non liberantur. In conclusione redeunt utriusque propositionis contraria subiecta.

E De



## DIALECTICA

### De materia syllogismorum secundæ figuræ.

Ut pueri materiam in promptu habeant ad componendos huius figuræ syllogismos, necessariam conaceruabunt sibi farraginem contrariarum uocum. Item addent illarum uocum effectus & officia.

Farrago contrariarum uocum unâ cum additis effectibus seu officijs.

Virtutis	}	Inclinare ad rectè agendum.	
Vitij		A bono auertere & recto.	
Iusticiæ		Vnicuiq; dare quod suum est	
Iniusticiæ		Non dare uniuicq; qd' suū est.	
Legis		Turbare conscientias.	
Euangelij		Consolari conscientias	
Fidei		Iustificare.	
Operum		est. Non iustificare.	
Prudentiæ		}	Verū inquirere et cognoscere
Imprudentiæ			Verū nō inquirere et cognoscere
Iusti	Neminem lædere. (scere		
Iniusti	Inferre iniuriam. (oibus		
Fortis	Vincere suos affectus in reb.		
Effoeminati	Indulgere affectibus p libidine in omnibus.		
Modestiæ	In dictis et factis seruare ordinē		
		Immon	



Immodestia	} est	In dictis & factis non seruare or- dinem.
Christiani		Colere magistratum,
Impij		Non colere, quanquam deberet:
		Hic enim effectus sequitur impi- um Ad Romanos primo.
Boni	}	Amare literas.
Mali		Odiffe literas.

Ex hac farragine sume duas uoces contrarias, et  
dispone illas iuxta prædicta præcepta, sic habebis  
huius figuræ syllogismum, ut

- Ca Omnis uirtus inclinatur ad rectè agendum.  
mes Nullum uitium inclinatur ad rectè agendum,  
tres Nullum ergo uitium est uirtus.

ITEM in Cæsare.

- Cæ Nulla iniusticia dat unicuique quod suum est,  
sa Omnis iusticia dat unicuique quod suum est,  
re Ergo nulla iusticia est iniusticia.

#### APPENDIX.

Qui nunc syllogismi non possunt iuxta prædica-  
tam dispositionem confici, illi præsidio coniunctio-  
num causalium absolui possunt. Nam per has cau-  
sas & effectus connectuntur. Et prodest hic farragi-  
nem habere causarum & effectuum adminiculo con-  
iunctionis causalis connexorum,

E a Iudæi



## DIALECTICA

Iudæi non sunt ex deo, quia non audiunt uerbū dei,  
Pharisæi non possunt esse liberi, quia Filius eos non  
liberat.

Seditiosi lædunt magistratum, quia non sunt Christi  
Mali oderunt bona, quia non sunt boni, (Stiani.

Impij non saluabuntur, quia contemnunt uerbum.

Operarij nõ iustificabuntur, quia caret fide in Christum.

Imprudentes non inquirunt uerum, quia carent  
prudencia. (desic.

Modesti non sunt luxuriosi, quia non uiuunt immo

Profunda & magna scripturæ mysteria infanibus

in uerbo non sunt prædicanda, quia carnales  
sunt, primo ad Corinbios tertio.

Nihil seruat præter uerbum, quia est potentia dei.

Nulla opera iustificare possunt, quia non tranquil-  
lam conscientias coram deo.

Ex hac farragine sume effectum cum causa anne-  
xa, & conficies Syllogismum. Exempli gratia.

Iudæi non sunt ex deo: Hic effectus est. Quia non  
audiunt uerbum dei. Hæc causa est.

Ca Omnes qui sunt ex deo, uerbum dei audiunt,

mes Nulli Iudæi uerbum dei audiunt,

tres Ergo nulli Iudæi sunt ex deo.

ITEM in Cæsare.

Cæ Nulli operarij iustificabuntur,

sa Omnes credemes iustificabuntur,

re Ergo nulli credemes sunt operarij.

Apo



## Appendix.

Syllogismi huius figuræ ex una figura in aliam  
transponi possunt, mutatis tantum propositionibus, ut

Omnes credentes iustificabuntur,

Nulli operarij iustificabuntur,

Ergo nulli operarij sum credentes.

Hic uides Syllogismum in Camestres, qui paulo  
ante erat in Cæsare.

Versus comprehendentes primæ &  
secundæ figuræ modos.

Barbara, Cælarent, primæ Darij, Ferioq;

Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, secundæ.

## De tertia figura.

Tertia figura in qua medium est subiectum in  
utraq; propositione. Huius figuræ Syllogismi rari  
extant apud autores, nisi quod forte nonnunquam  
incidunt per occasionem magis, quam ex artis præ-  
scripto. Est enim ratio hæc colligendi à communi  
usu, & loquendi consuetudine aliena. Id quod patet  
in Bocardo & Disamis huius figuræ modis, in  
quibus maior particularis est contra naturam omni-  
um Syllogismorum. Sunt autem in hac figura omnes  
conclusiones particulares.

Modi tertiæ figuræ sunt sex, Darapti, Felapton,  
Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

E s

De



## DIALECTICA

### De Syllogismo expositorio.

Syllogismus expositorius est, in quo medium est  
singulare in utraq; propositione. Est uero huius syl-  
logismi usus in argumentis ductis ab exemplis, cum  
probamus, aut illustramus aliquid per exēpla. Vt ut-  
tur autē commodē his Syllogismis expositorijs, quē  
publice aut legunt, aut docent. Nam ut illis fides ad-  
hibeatur, & res de quibus agunt apertiores fiant,  
uiua exemplorum demonstratio requiritur. Et Chrē-  
stus expositorio non raro usus est, item Paulus, &  
reliqui Apostolici scriptores. Hic quisq; libere col-  
ligere potest, quæ uult, modò mediū in utraq; pro-  
positione maneat subiectum singulare. Sic probatu-  
rus homines fide iustificari, in hunc modum ab exē-  
plo argumemaberis:

Abraham est iustificatus fide,

Abraham fuit homo,

Ergo homines iustificantur fide.

Item exemplo docturus bona opera non iustifica-  
re pios, hæc potest esse iusta ratiocinatio.

Paulus nihil sibi cōscijs, tamē nō est iustificatus:

Paulus fuit pius,

Ergo nulli pijs etiā nihil sibi conscijs erūt iustificati.

Item exemplo ostensurus nō esse peccatum Chrē-  
stiano habere propria, hic sequens probabit exposi-  
torius.

David



David propria habendo non peccauit,  
 David fuit Christianus,  
 Ergo Christiani non peccant habendo propria.  
 Item declaturus exemplo, plangere mortuos non  
 esse peccatum pijs, sequenti syllogismo patebit.  
 Ioseph planxit mortuum parentem & non peccauit,  
 Ioseph fuit pius,  
 Ergo pijs integrum est mortuos suos sine pecca-  
 to plangere.  
 Item illustraturus uinum inebriare homines, sic  
 collige,  
 Iste est uino inebriatus,  
 Iste fuit homo,  
 Ergo homines inebriantur uino.

### De dispositione expositoriij.

Facit ad dispositionem expositoriij obseruare in  
 prædicato minoris semper poni personam aut rem,  
 ad quam accommodatur exemplum.  
 Regulus seruauit hostibus fidem,  
 Regulus fuit Romanus,  
 Ergo omnes Romani hostibus seruabunt fidem.  
 Hic uides prædicatum Minoris personam esse,  
 ad aquam accommodatur exemplum.

ITEM.

Hæc cereuisia facile inebriat,

E 4

Hæc



## DIALECTICA

Hæc cereuisia cocta est ex lupulo & hordeo,  
Ergo quicquid coquitur ex hordeo & lupulo fa-  
cile inebriat.

Hic prædicatum Minoris uides rem esse ad quam  
accommodatur exemplum.

### De materia ad hunc syllogismum necessaria.

**Abrae.** Licet Christianis belligerari, pro ser-  
uando proximo, Gen. 14

**Abrae.** Licet mentiri Christianis in necessi-  
tate pro salute proximi, Gene. 12.  
Vbi Abraam in Ægipto Saram uo-  
cat suam sororem.

**Vxoris** Securitas pijs periculosa est.

**Loth** Vxor enim Loth respiciens contra  
mandatum angelorum uersa est in  
statuam salis. Gene. 19.

**Iacob.** Fideliter & simpliciter agendum est  
pijs, cum illis qui eos decipere moli-  
untur, Gen. 30. ubi legitur Iacob nul-  
lo usus dolo contra subdolū Laban.

**Herodis.** Hypocritæ tandem in apertum furo-  
rem prorūpunt cōtra Christū: nā He-  
rodes primū coram Magis se piū si-  
mulat, postea persequitur Christum

Laban



**Laban** Hypocritæ nō carēt timore. Igitur inquit Labā ad Iacob: Ineamus fœdus,

**Iacob.** Nihil ui rapere debent Christiani sub prætextu pietatis. Iacob enim Gene. 33. à Sichimitis emit partem agri, In qua fixit sua tentoria.

**Dina** Ocium caussa est scortationis. Dina enim sectata ocium, incidit in scortationem. Gen. 34.

**Ioseph.** Crux patienter ferenda est.

**Herodis.** Principes malè sibi conscij, semper timent ne fugentur aduentu Euangelij, Herodes enim turbatus est, cum audisset Christum natum.

**Exemplo Christi** Cedendum est Christianis impietati ad tempus: Sic Christus Bethleem reliquit & abiit in Aegyptum.

**Ioannis** Conuenit prædicatoribus poenitentiam & remissionem peccatorum simul prædicare, sicut Ioannes facit, qui terret & solatur simul.

**Gergeseporum** Sæpe quæstus aut uictus gratia damnāt homines uerbū, qd' alioqui dānare in cōsciencijs nō possunt. Gergeseni. n. iubēt Christum à suis finibus secedere propter amissos porcos tantum.



## DIALECTICA

- Reguli** Hostibus seruanda est fides ab omnibus cordatis & honestis uiris. Siquidem hic Regulus propter seruandam fidem maluit ad hostes redire & supplicium ferre, q̄ non seruādo fidē, inhonestē uiuere.
- Exemplo** **Decij** Omnibus hominibus conuenit pro salute patriæ oppetere mortem.
- Fabij** Cunctatio in bello prodest ducibus.
- Alci-  
biadis** Recompensat uulgus magnis uiris beneficia ingratitude.

### De Enthymemate.

Enthymema est cogitatio cum adiecta sententia, uel ratione. Eyn kurtz bedencken, mit eynem schönem sententz, oder gewisser ursach. Principes ac heroes uiri præ reliquis uulgaribus hominibus crebrius utuntur enthymematis. In his semper deest altera propositio uel maior uel minor, idq; aut propter breuitatem, aut propter noticiam prætermiffæ. Usus enthymematum est in coniecturalibus argumentis, in quibus ex industria omittitur altera propositionum quæ infirmior uidetur. Pertinent ad enthymemata & epiphonemata, ut

Magnæ molis erat Romanam condere gentem.

Quare? Quia magna magnis parantur. Terentius plenus est enthymematum. Quia in causis civilibus



quibus tractandis plerunq; coniecturis utimur: & Euangelia ac Paulinae epistolae inpersa habent multa Enthymemata.

Partes enthymematis duae sunt, { Antecedens est prior propositio, uel ex maiore uel minore, ut Pamphilus amat. | Consequens est ipsa conclusio: Ergo Pamphilus abhorret à matrimonio, L

De dispositione enthymematum.

Dispositio enthymematis facilis est, obseruata tantummodo causa alicuius rei aut facti, ut quia Pamphilus amat, igitur abhorret à matrimonio. Integer erit syllogismus in hunc modum,

Omnis qui amat abhorret à matrimonio,  
Pamphilus amat,  
Ergo Pamphilus abhorret à matrimonio.

Exempla enthymematum in quibus deest Maior.

Ebrietas mala est,  
Igitur est uitanda.

Maior deest: Omne malum est uitandum.

ITEM.

Iusticia fidei est res bona,  
Ergo apprehendenda est.

Maior



## DIALECTICA

**Maior deest.** Omnis res bona est apprehendenda,

ITEM.

Euangelium est ueritas,

Igitur odium parit.

**Maior deest:** Omnis ueritas parit odium.

Exemplum in quibus deest Minor.

Vim ui pellere licet,

Igitur Clodius iure cæsus est à Milone.

**Minor deest:** Milo uim Clodij repulit.

ITEM.

Virtus non debet carere præmijs,

Igitur nec iusticia.

**Minor deest:** Iusticia est uirtus.

ITEM.

Omnia bona postponenda sunt causa Euangelij,

Igitur mobilia postponi debent

**Minor deest:** Mobilia sunt bona.

## APPENDIX.

Quia enthymemata non ita statim oia uidentur probata esse: ideo pueri diligenter obseruabunt: Primum ut perspiciant utra propositio desit. Deinde ut enthymemata ad integros syllogismos reducant, ita fiet, ne pueri breuitate decipiantur. Sic in proximo enthymemate Minor deest, quã si adieceris, erit perfectus syllogismus, & erunt aptiora omnia, ut

Omnia



Omnia bona postponenda sunt causa Euangelij  
 Mobilia sunt bona,  
 Ergo mobilia causa Euangelij postponenda sunt.

De materia Enthymatum  
 seruiente dispositioni.

Prodest & hic obseruare & tanquam in prom-  
 ptu habere multas causas seu rationes ex quibus ple-  
 runq; conficiuntur enthymemata. Illarum hic con-  
 geriem aliquam adijcere libuit.

Iudei non sunt ex deo, quia non audiunt uerbū dei.

Petrus est suspendendus, quia furatus est.

Lex non iustificat, quia iram efficit.

Fides iustificat, quia tranquillat conscientias.

Iusticia est amplectenda, quia facit bonos & iustos.

Opera bona facienda sunt, quia ad nouam uitam iu-  
 stificamur.

Bellum fugiendum est, quia est res mala.

Solum seruat Verbum, quia est potentia Dei

Ratio non intelligit spiritalia, quia cæca est in rea-  
 bus Dei.

Deus non est autor peccati, quia iustus est.

In diligencia nullæ artes parantur, quia usus est ar-  
 tum magister.

Euangelium odium parit, quia damnat proprias iu-  
 sticias coram Deo.

Papistica



## DIALECTIC A

Papistica doctrina plausibilis est, quia commendat  
propriam coram Deo iusticiam.

Homo ex lege naturæ non potest clare cognoscere  
Deum, quia naturalis noticia fracta est in Adam.

Hæ causæ & rationes inuersæ tantum & tran-  
spositæ enthymemata efficiunt, ut

Omnes qui non audiunt uerbum Dei, non sunt  
ex Deo,

Igitur Iudæi non sunt ex Deo,

ITEM,

Lex iram efficit,

Igitur non iustificat.

ITEM.

Omnis res mala fugienda est,

Igitur bellum fugiendum.

APPENDIX.

Rhetores olim uocabant proprie enthymemata  
argumenta à contrarijs ducta ut,

Nulla salus bello,

Igitur pacem te poscimus omnes.

ITEM.

Paries est albus,

Igitur non est niger.

ITEM.

Virtus est laudanda,

Igitur uitium est uituperandum,

ITEM



## ITEM.

Iusticia facit bonos & iustos,

Igitur iniusticia efficit malos & iniustos.

## De Inductione.

Inductio est inuersus syllogismus: quia hic non ex uniuersalibus, ut in reliquis superioribus syllogismis colligimus, sed ex singularibus uniuersalia. Inductionis usus est apud autores in citandis exemplis. Et quia unum exemplum aut singulare infirmum est, ad probandum aliquid: igitur inductionem inuenere Dialectici, ut sic ex multis exemplis, atque adeo ex multis singularibus fieret probatio firmior.

## REGVLA.

Perfecta est Inductio, quæ nullum singulare omittit. Imperfecta & uitiosa est, quæ aliquot singularia omittit.

Exemplum uitiosæ Inductionis.

Germanorum Ecclesia subdita est Papæ.

Item Gallorum Ecclesia,

Item Anglicorum, Item Italarum.

Ergo omnes Ecclesie mundi subditæ sunt Papæ.

Vitiosa est et inualida inductio, quia Rutenica Ecclesia non est subdita Papæ, neque aliæ complures.

Exempla ueræ inductionis.

Serenis Sigenensis inebriat,

Item



## DIALECTICA

Item Marpurgensis,

Item Misnensis,

Item Saxonica,

Igitur omnis cereuisia inebriat.

ITEM.

Abraham iustificatus est fide,

Item Sacra, Iacob, Gedeon, item David atq; adeo  
omnes sancti,

Igitur omnes qui iustificantur, fide iustificantur.

ITEM.

Adam crucem tulit uir sanctus & pius. Item  
Abel, Abraham, Iacob, item Christus: Nec dissi-  
milia exempla reperiuntur,

Ergo omnes sancti & pijs ferent crucem.

De dispositione inductionis,

Dispositio inductionis facilis est, modo scias ad  
conclusionem uniuersalem, singularia esse accom-  
danda. Conclusio ipsum thema est, quod probatur  
singularibus, Vt probaturus ingratitude sequi  
omnia magna beneficia, adde hæc singularia,

Milciadem pro magnis beneficijs secuta est in-  
gratitudo, Item Themistoclem, Item Ciceronem,  
& omnes alios bonos uiros multa beneficia conse-  
rentes in respublikas.

Igitur omnia magna beneficia sequitur ingratitude.

De ma-



ERASMI SARCE, 41  
De materia Inductionis.

Quò pueri materiam componendi inductiones habeant, parabunt sibi syluam quandam singulariorum, qualia sunt hæc:

Adam propter peccatum punitus est à Deo,

Item Cayn, edificatores turris Babylonice, Sodomitæ & Gomorritæ, Onan & peccatores, atq; adeo omnes. Ergo &c.

Chanaan dedit pœnas inobedientiæ paternæ,

Item Absalom, Ammon, nec non & alij omnes: Ergo & cæteri.

Dathan propter inobedientiam erga superiores miserè periit, Item Abiron, Chore, Semei, Nec constat ullum esse dissimile exemplum. Ergo &c.

Regulus uir bonus, hostibus seruauit fidem, item Fabricius consul Pyrrho regi, Alexander cuidam Indo, Carolus Cæsar Gallorum regi, idem & alij boni omnes semper fecerunt, Ergo &c.

Callicratides uir fortis & magnanimus, contempsit mortem, Item Chilo Lacon, item Socrates, Aristippus, Diogenes, Iulius Cæsar, Epaminundas, & omnes alij uiri fortes, Ergo &c.

Fides rara est apud Germanos, item apud Italos, Gallos, Græcos, & nullibi non. Ergo &c.

Farraginem singulariorum peies ex Valerio, S &

E bellio



## DIALECTICA

Bellio, & alijs, qui ad locos communes congefsero  
exemplo.

### De Exemplo.

Exemplum est accōmodatio similitudinis à per-  
sona ad personā, neq; abhorret à forma Emhymema-  
tis: Efficacius est autem exemplum in persuadendo  
quàm in probando. Huius usus est apud autores in  
collatione personarum à simili.

### REGVLA.

Similitudo ut est causa bonæ consequentiæ, ita  
dissimilitudo est causa consequentiæ malæ, ut hæc  
se inuicem non rectè sequuntur,

David passus est se eligi regem contra  
impium Saulem,

Ergo & ego patiar me eligi contra im-  
pium magistratum.

Dissimilitudo hic est, nam David mandatum ha-  
buit, Samueli diuinitus datum, ego autē non itidem  
imò mihi prohibitum est.

### ALTERA REGVLA.

Sæpe fit quòd plura dissimilia in uno exemplo  
concurrant, ideo dissimilia acri iudicio perspicienda  
sunt.

Sacerdotes ueteris Testamenti obtulerunt exter-  
na sacrificia, ut pecora.

Ergo



Ergo & noui Testamenti sacerdotes, quales sunt omnes credentes externa sacrificia offerent.

Hic plura sunt dissimilia: Nam sacerdotes ueteris Testamenti non conueniunt cum noui Testamenti sacerdotibus: Hi enim spirituales sunt: Illi politici & ciuilibus regni sacerdotes. Item sacrificia dissimilia habent, scilicet externa & spiritualia.

Paradigmata ueri exempli.

Abraham bellum gessit pro salute proximi.

Ergo & Christiani bellum gerere possunt pro seruando proximo.

Ioseph pius patienter tulit crucem,

Ergo & nos crucem patienter feremus.

Maximilianus potuit uincere Venetos

Ergo & Carolus uincet.

De dispositione exempli.

Dispositio exempli nullam habet difficultatem, tantum refert scire commisceri similia. Prodest & hic exemplorum farraginem præ manibus habere.

Abraham suo de iure cessit propter seruandam pacem.

Hic enim ibi Loth cedit, (Gen. 13.)

<b>Exemplo</b>	Pharao nis	Punit deus persecutores piorum.
	Abrahe	Credendum est simplici uerbo sine deliberatione. Gen. 12.





## DIALECTICA

- Abelis & Jacob.** Pij semper habent suos Caynes & Esauitas, hoc est persecutores.
- Ioseph.** Liberat Deus à cruce, ubi nulla est occasio liberandi. Quis enim credidisset eum liberatum iri, quò de heretico pro erat accusatus?
- Exemplo** **Pharisæorum.** Operarij à charitatis operibus sunt alienissimi.
- Balaam.** Non est obediendum impijs magistratibus ut pecces contra deum. Sic Balaam noluit audire Balac regem Moabitarum, ut malediceret Israël. Nume 22.
- Servorum.** Opus est externa prædicatio uerbi: Nam serui ab eum cum suis talentis & negociantur. Matth. 25.

### De Sorite.

Sorites Latinis coaceruatio est, cum uoces necessario coherentes, ut generum, specierum, causarum effectuum iunguntur: neq; abhorret multum hæc coaceruatio à gradatione Rhetorica.

### Exempla Soritis.

Ocium parit luxum,

Luxus inopiam,

Inopia latrocinia & furta,

Ergo ocium parit latrocinia & furta.

Ocium



Ocium genus est: Luxus species, uel ocium causa est. Luxus effectus. Luxus causa inopia est, in opialatrociniarum & furtorum. Conclusio est à causa principali, ad effectus posteriores.

ITEM.

Institutio adfert eruditionem,  
 Eruditio cognitionem uerbi Dei,  
 Cognitionis uerbi Dei uitam æternam,  
 Ergo & institutio utilis est, ut accipias uitam æternam.

ITEM.

Adflictio parit patientiam, Patientia probationem, Probatio spem, Spes non pudefacit, Ergo nec adflictio pudefacit.

ITEM.

Omnes erunt salui, qui inuocabunt nomen Dñi,  
 Inuocantes nomen domini oportet credere,  
 Credentes oportet audire uerbum,  
 Qui uerbum audiunt, oportet ut habeant prædicatores.

Ergo nemo saluus fiet sine prædicatione.

ITEM.

Contemptus bonarum artium parit inciuilitatem atq; inhumanitatem,  
 Inhumanitas turbat tranquillitatem.

F 3

Turbas



## DIALECTICA

Turbatio tranquillitatis fundit sanguinem &  
adfert multa mala,

Ergo contemptus bonarum artium fundit san-  
guinem & adfert multa mala.

### ITEM.

Nimia familiaritas parit contemptum,

Contemptus obtrectationem,

Obtrectatio famam lædit,

Ergo nimia familiaritas nocet fame.

### De Dispositione Soritum:

Dispositio Soritum pendet ex generum, specie-  
rum, causarum, effectuum, & uocum cognatarum mu-  
tua suppositione et coherentia: Neq; ex sæpe prædi-  
ctis præceptis difficile erit cognoscere, quæ genera,  
quæ species, Item quæ causæ & qui effectus sint.

### APPENDIX.

Soriten uitiosum faciunt uoces nõ necessariò con-  
herentes, hoc est, quæ non sunt uel genus, uel spe-  
cies, uel causæ, uel effectus, uel cognatæ: Vocamus  
autem cognatas uoces, quòd una absq; altera, non  
potest subsistere: Sic charitas & spes fidei sunt res  
cognatæ.

### Exempla uitiosæ soritis.

Spiritus sanctus dat bonas artes,

BONO



Bonæ artes perturbant Respublicas,

Respublicæ perturbatæ percunt,

Ergo & spiritus sanctus peribit.

Hic perturbatio rerum publicarum, non rectè  
tribuitur artibus tanquam causæ: Nam effectus bonarum  
artium est conseruare respublicas, tranquillitatis in statu:  
Siquidem docent ciuilitatem, & cõsuetudinem, per quæ seruantur Respub. Neq; rectè  
colligitur spiritum sanctum periturum.

Qui benè legit, erit diues.

Diuitiæ reddunt insolentes,

Insolentia gignit contemptum,

Contemptus facit beatos,

Ergo qui benè legit erit beatus.

Hic uerbum legit amphibolon est, neq; beatitudo est effectus contemptus, tanquam operis operati:  
Quanquam uerum est quod contemptus propter uerbum aliquando habiturus sit beatitudinem, aut sub spe iam sit beatus. Neq; conuenit, benè legentem ideo esse beatum.

## ITEM.

Opulentia parit contemptum,

Contemptus saturitatem,

Saturitas prudentiam,

Prudentia cognitionem ueri,

Ergo opulentia parit cognitionem ueri.



## DIALECTICA

Hic multa sunt inconuenientia. Nam opulentiam non sequitur contemptus: Siquidem nemo alius maiori habetur in precio, quam qui est opulentus: Item nec saturitas effectus est ipsius contemptus, sed opulentiæ: Nec saturitatis effectus est prudentia. Oriuntur enim ex saturitate ferocia et uiolentia. Verum tamē est, prudentiā causam esse cognitionis ueri. At falsum est opulentiam parere cognitionem ueri.

### De Locis.

Locus, est sedes seu index argumenti, quo moneamur unde petenda sint argumenta, & ut sciamus quid in cogitando animus sequi debeat: Sunt enim loci nihil aliud, quam indices & monitores, quos sequatur animus, cum de aliqua re scribendum dicendumue fuerit.

### REGVLA.

Tractatio de locis non materiam, quæ ex bonis autoribus petenda est sed rationem inueniendæ materie docet, ut oblata quæstione de fide: An fides iustificet. Loci admonebunt te de materia, quid sit scribendum aut dicendum. Ea autem quæ scribenda sunt uel dicenda de fidei iustificatione, ea in quâ è sacris Biblijs petes. Porro quia dicimus aut scribimus uel de personis, uel de re aliqua: Ideo duplices loci inde nascuntur, uidelicet personarum & rerum.



sum. Res hic omne argumentum dicitur præter personam.

### De locis personarum.

Patria, sexus, parentes, ætas, educatio, disciplina, uel institutio, studia, sodalitia, mores seu ingenium, res gestæ, genus seu conditio uitæ, mors.

Plures loci personarum colligi possunt à circumstantijs seu accidentibus quæ cadunt in personas, ut nomen, uirtus, fortuna, affectio &c. Est etiam usus locorum personarum apud Rhetores in statu coniecturali, ut probaturus, an Vlysses Aiacē occiderit, omnes prædicti loci adhiberi possunt.

A locis igitur personarū in hunc modū sumuntur argumenta.

#### A Patria.

Germanus est: Igitur integer est.

Græcus est Vlysses: Igitur leuis, inconstans & insidiosus.

Ex Ætiopia est usq; hæc: Igitur fusca.

#### A Sexu.

Vir est: Igitur aptior ad bellum.

Mulier est: Igitur non debet loqui in coetu.

#### A Parentibus.

Carolus Cæsar uir cordatus est, Igitur & filius iunior Carolus Cordatus erit.

F S

Ab



## DIALECTICA

### Ab ætate.

Ad ætatem pertinent puericia, adolescentia, senectus. Apud Rhetores in puericia de ingenio & de educatione agitur. In adolescentia de studijs & rebus gestis. In senectute de consilijs disputatur, quibus inueniuntur Respublicas aliquis.

### Argumenta ab ætate.

Puer est,

Igitur non potest prudenter agere.

Adolescens est Æschinus,

Quare non est in eum seruendum propter peccatum.

Cato uir senex fuit,

Igitur potuit Rempublicam prudentibus ac rebus consilijs regere.

### Ab educatione.

Delicatè educatus est Vlysses,

Igitur Aiacem occidit.

Vlysses obstetricem habuit furiosam,

Igitur non mirum est, & si ipse furiosus fuerit.

### A disciplina.

Non mirum est Ciceronis filium doctum & bonis moribus præditum fuisse. Quia Cratippus præceptorem habuit, idè Athenis.

Monachi



Monachi indoctos habuerunt præceptores,  
Quid ergo mirum si ipsi sint indocti.

## A studijs.

Studia sunt ad quæ à natura quisq; est propensus.  
Philosophus est,  
Igitur non potest odisse amatores philosophiæ.  
Sutor curat corium,  
Igitur non curat liberiora studia.

## A Sodalitijs.

Semper uixit cum belluonibus Artophilax,  
Igitur quid noui accidit, et si ipso belluo effe-  
sus sit.

## A moribus seu ingenio.

Hic locus spectat ad naturalem indolem, ut  
Vlysses semper magnificit homicidas,  
Igitur Aiacem occidit.  
Verres reus est repetundarum.  
Quia à natura rei alienæ fuit cupidus.

## A Rebus Gestis.

Res gestæ uel turpes uel honestæ sunt, ut  
Rex Galliæ semper mouit iniusta bella,  
Igitur dignus est qui pellatur è regno.  
Andreas de Doria semper feliciter pugnauit,  
Igitur et Turcicum bellum ei committendum est.  
Carolus Cæsar nullam uictoriam amisit,  
Igitur et Gallum uincet.

A uito



## DIALECTICA

### A uiræ genere.

Episcopus est, Igitur doceat.

Sacerdos est, Curet igitur sacra.

Sartor est, Sarciat igitur uestes.

### A morte.

Ad mortem pertinent, quæ circa mortem, in morte, & post mortem contingunt, ut

Romulus ex oculis hominum translatus est,

Igitur deus est factus.

Enoch & Elias sublati sunt uiui in cælum,

Quare beati sunt facti.

Latro pendens Christo à dextris in cruce, inquit ad dominum: Domine memento mei, cum ueneris in regnum patris tui.

Ergo latro ille beatus est factus.

### De locis rerum.

Loci rerum dicuntur omnes, qui non sunt personarum. Sunt autem hi:

Definitio,

Partes definitionis, genus, species, proprium, differentia. Etymologia. Coniugata.

Causæ quatuor: { Efficiens  
Formalis,  
Materialis,  
Finalis seu effectualis.

Amecca



Antecedentia & consequentia,

Totum & partes,

Similitudo,

Par,

Maius & minus,

Opposita,

Contraria ex qualitate,

Contraria ex relatione,

Contraria per priuationem,

Contraria propositionum,

Diuersa seu disparia.

Exemplum,

Autoritas,

Signum.

Hi præcipui sunt rerum loci, qui usu & lectio-  
ne bonorum autorum facilius discuntur, quàm præ-  
ceptis, quæ nihil sunt, nisi legendo & scribendo cõ-  
firmentur. Argumenta à rebus sic ducuntur.

### A definitione.

Primus & præcipuus locus est à definitione:  
Nam argumenta quæ inde ducuntur, omnia necessa-  
ria sunt & firma.

Duplicia autem sumuntur argumenta à defini-  
tione, Negatiua, & adfirmatiua.

Exem-



## DIALECTICA

### Exempla adfirmatiua.

Fides est certissima fiducia, qua ex uerbo Dei certi sumus per Christum esse nobis remissionem peccatorum, & fieri nos filios Dei,  
Agitur seruat fides.

### ITEM.

Omnia signa ad remissionem peccatorum instituta, magnificianda sunt.

Sacramentum est signum altaris ad remissionem peccatorum institutum,

Ergo sacramentum altaris debet à nobis magnifici fieri.

### ITEM.

Omne quod ab inhonesto auocat, cum utilitate, est colendum,

Matrimonium est quod auocat ab inhonesto, dñe impedit stuprum, simulq; est utile ad procreandam sobolem,

Ergo matrimonium colendum est.

### Exempla negatiua.

Papista non docuerunt mortificationem & niuificationem simul in pœnitentia,

Ergo non recte docuerunt de pœnitentia.

Est enim pœnitentia quæ constat contritione & fide,

Nulla



Nulla doctrina eijci debet ex Ecclesia, quæ terret  
 & solatur simul,  
 Euangelium est doctrina quæ terret & solatur  
 simul,  
 Ergo Euangelium non debet eijci ex Ecclesia.

ITEM.

Nihil contemnendum est quod ducit ad Christum,  
 Lex ducit ad Christum: Est enim pædagogus  
 ad Christum usq;.  
 Ergo lex non est contemnenda.

A definito.

Christianus rex est in spiritali regno Christi,  
 Igitur dominari debet super peccatum, mortem,  
 diabolum, mundum.

ITEM.

Christianus sacerdos est,  
 Igitur offerre debet.  
 Quæ uero sine Christianis sacrificia, Paulus docet  
 12. ad Romanos.

REGVLAE.

Cui definitio conuenit, ei cõuenit & definitum  
 Et è contrario, Cui admitur definitio, ei adimitur  
 & definitum. Et econtra.

A genere.

A genere argumenta mura ad speciẽ negatiuẽ tan  
 tum, ut:

Animus



## DIALECTICA

Animal non est,  
Igitur non est homo.  
Virtus non est res mala,  
Igitur nec iusticia.  
Nullum animal se uir in speciem sui generis,  
Ergo neq; homo in hominem se uire debet.

### REGVLA.

Cui adimitur genus, ei adimitur & species, ut arbori non conuenit animal, Ergo nec homo species.

### APPENDIX.

Item à genere colligimus adhuc adfirmatiui & negatiui argumenta, oppositis signis uniuersalibus, ut :

Omnis uirtus inclinatur ad rectè agendum.  
Ergo & iusticia inclinatur ad rectè agendum.

### ITEM.

Nullum metallum preciosius est auro,  
Ergo nec argentum preciosius est auro.

### A Specie.

A specie argumentamur ad genus adfirmatiue tantum, ut:

Ignis est,  
Igitur elementum.  
Pirus in se uitam habet,  
Ergo & arbor.

REGVLA



## REGVLA.

Cui tribuitur species, ei tribuitur & genus.

De Differentia & proprio.

Quia paucissima sunt uerae differentiae: igitur propria eas circumloquimur. Proprium uero id tantum dicimus, quod uni rei conuenit. Quare hic cauendum est, ne speciebus temerè adscribatur, quod illarum non est. Porro quia nec proprium cuiusque speciei facile cernitur, puero satis est officia respicere: ut, non rectè dices grammaticam esse argumentandi artem. Nam argumentari soli dialecticae proprie, seu ex officio conuenit. Item non rectè dices equum ridere, quod solius est hominis: Hinnire equi proprium est. Ducuntur autem hinc duplicia argumenta, adfirmatiua & negatiua.

Euangelium consolatur conscientias.

Igitur est utilis doctrina.

Nam proprium est Euangelij officium conscientias solari.

## ITEM.

Lex iram efficit,

Igitur intranquillas facit conscientias.

## ITEM.

Episcopi nostri non docent,

Igitur non sunt ueri Episcopi.

G

ITEM



## DIALECTICA

### ITEM.

Mona hi non amplectuntur uerbum  
Igitur non sunt Christiani.

### Ab Etymologia.

Non adfert iniuriam,

Igitur iustus est.

Euangelium pacat conscientias,

Igitur letum nuncium est.

Benefacit alijs,

Igitur beneficus est.

Etymologiae argumentum est, quod nascitur ex  
propriate uocabuli.

### A Coniugatis.

A coniugatis argumentum est, quando unius uer-  
bis deriuata, aut diuersi casus concurrunt, ut

Sapienter agit,

Igitur sapiens est.

Hic nummus habet effigiem Cæsaris,

Ergo ad Cæsarem pertinet.

Fortiter pugnavit Hannibal,

Igitur uir fortis fuit.

### A Causis, & primum ab effi- ciente.

A causa efficiente duo cadunt argumenta, adfir-  
matiuum & negatiuum, ut:

DEVI



Deus ordinavit magistratum,  
 Igitur colere eum debemus.  
 Leges civiles à Cæsaribus sunt conditæ,  
 Igitur magno in precio habendæ sunt.  
 Fides donum est Spiritus sancti,  
 Ergo non est humanum opus.  
 Christus filius Dei est,  
 Ergo non Iosephi simpliciter.

## REGVLAE.

Causas sufficientes sequitur necessarius effectus.  
 Credimus in Iesum Christum,  
 Igitur sumus iusti.  
 Effectus non potest sequi, ubi non est, aut non fuit  
 causa, ut: iustificatio non potest esse sine fide.

## A Materia.

A materia commendantur & vituperantur res.  
 Fiunt autem à materia argumenta in hunc modum:  
 Desunt ligna & lapides,  
 Igitur non potest extrui domus.  
 Pannus abest,  
 Igitur non potest fieri uestis.  
 Hordeum, lupulus & aqua deficiunt,  
 Igitur non potest parari cereuisia.  
 Ex luto tantum compactum est hoc edificium,  
 Igitur non potest diu durare.

G a Ex



## DIALECTICA

Ex marmore hæc domus fundamentum habet,  
Igitur non potest corruere.

### A forma.

A forma plerunq; argumentamur, cum res com-  
mēdamus ab arte, qua factæ sunt, uel ab externa spe-  
cie. Est enī forma illud ipsum quod tegit materiā, ut.

Rotundum est uas,

Igitur uolubile.

Tunica est pannus hic,

Igitur indui debet.

Coruus est niger,

Ideo habet nigredinem.

Quadratum est hoc lignum,

Ergo ad mensam est aptum,

Hæc tabula est benè proportionata,

Igitur optimum habuit artificem.

Plicata est uestis,

Igitur Germanica, Nam Hungari, Ruteni, non  
habent plicatas uestes.

### Ab Effectibus seu causa finali.

Sumuntur ex hoc loco argumenta honestatis &  
utilitatis, ut:

Virtus honesta est,

Igitur expetenda est.

Liberare subditos ab iniuria decet magistratum.

Igitur



Igitur Turcæ bellum inferendum est.

Euangeliū est uirtus dei ad salutē omni credentii.

Igitur amplectendum est.

Publicæ scholæ ciuiles reddunt homines, & alia  
as multas commoditates adferunt.

Igitur sum erigendæ.

Iustificatio fidei pacem conscientijs adfert.

Ergo omni gaudio inquirenda est.

Ab Antecedentibus & con-  
sequentibus.

Hic locus plerunq; in sacris literis occurrit, ut:

Cæcus implorat præsidium Christi.

Igitur certum est quod benè sibi pollicitus sit de

Leprosus adorat & inuocat Christū, (Christo.

Igitur prius credidit.

Mulier adorat Christum, & petit ab eo auxilium.

Igitur prius de Christo audiuit.

Magdalena iustificata fuit à peccatis.

Igitur prius fidem habuit.

Fabius cunstando uicit hostes.

Igitur prius magno usus est consilio.

Regulæ Appendicis uice adiectæ, lo-  
cis sumptis à causis.

Vna causa naturalis non habet in eodem subie

¶ 3 flo





## DIALECTICA

Ad contrarios effectus, ut:

Ignis calefacit,

Igitur non frige facit.

Dubitatio auget desperationem.

Ergo non depellit aut minuit.

Cœlum serenum cras dabit diem.

Igitur non nubilum.

Lex conscientias terret,

Igitur non solat ur

Vocamus hic causam naturalem propriam  
sufficiens.

### Secunda Regula.

Vna res non habet diuersa efficiens, quorum  
singula sufficiens, ut:

Si opera conferunt gratiam,

Frustra igitur mortuus est Christus.

Si lex potest iustificare,

Ergo nihil officij habet Christus.

### A Toto ad partes.

Huius loci usus est apud autores in diuisionibus.  
Regula hic generalis est. Posito toto, necesse est po-  
ni & partes, quæ si sunt necessarie, eas ritè sequi-  
tur totum, ut infirma est ratiocinatio.

Vnguibus caret hic,

Igitur non potest diutius uinere.

Exem.



## Exempla firma.

Docet pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Igitur Euangelium docet.

Religionem tractat,

Igitur timorem & fidem in deum.

Agit de iusticia, prudentia &c.

Igitur de uirtute agit,

Ædificium est hoc,

Igitur parietes, ligna habet.

Homo est,

Ergo caput, uentrem, manus, pedes habet.

## A Similitudine.

Argumentis similitudinis utuntur auctores, non  
tam in probando quàm illustrando, & amplifican-  
do sua. Quare & hæc argumenta plerumque infir-  
ma sunt.

## A Pari.

Si à deo maledictus est, qui patrem contemp-  
sit,

Ergo & maledictus est qui matrem contemnit.

Numitor qui fratrem eiecit è regno, miserè periit.

Ergo miserè peribit, qui sororè ui eiecerit è regno.

Hic patriam prodidit, & dedit pœnas,

Ergo ille pœnas dabit qui eandè incendio perdidit.

## A Minori ad maius.

G 4

Discia



## DIALECTICA

Discipulus intelligit hoc,

Ergo & præceptor.

Cæsar Maximilianus potuit Venetos ad pacem con-

Igitur & Carolus potest.

(gere

Tribus millibus (ut fertur) Carolus Romam cepit.

Igitur decem millibus eam capiet.

Vergilius primo Æneidos,

Pallas potuit perdere Argiuos,

Ergo et ego Iuno Troianos perdam, Iouis soror  
ac coniunx.

A Maiori ad minus.

Turca hætenus non potuit uincere Cæsarem  
Carolum,

Ergo nec Gallus uincet.

Præceptor hæc nescit,

Igitur & discipulus.

## APPENDIX.

Nihil periculosius est quam similitudinibus ludere. Item nec difficilius quicquam aliud. Referes autem ad similitudinis locum omnes collationes, parabolas & exempla apud bonos autores.

## De Oppositis.

Opposita hic sunt per antithesin à contrario collationata.

A con-



A Contrarijs.

Contraria qualitatium sunt, ut frigus, calor, humidum, siccum, durum, molle, &c. ut:

Corpus calidum est,

Igitur non friget.

Terra humida est,

Igitur non sicca.

Hoc lignum molle est.

Igitur non est durum.

Iusticia uirtus est,

Igitur non est uitium.

A contrarijs ex relatione,

Dominus est,

Igitur non est seruus.

Pater est,

Igitur non est filius.

Discipulus est,

Ergo non est preceptor.

A Priuatiuis:

Priuatio hic significat deesse aliquid, quod esse se possit, ut:

Inops est,

Igitur non est diues.

Lux est,

Igitur non sunt tenebre.

G ; A CON



**DIALECTICA**  
**A Contradictione.**

Contradictio est in propositionibus simpliciter, ut:

Cælius est literarum studiosus,  
Igitur Cælius non est inimicus literarum.

Cælum mouetur,  
Igitur non stat.

Petrus uiuit,  
Igitur non est mortuus.

He propositiones nunquam simul ueræ esse possunt aut falsæ.

**A Diuersis.**

Germanus est,  
Igitur non est Gallus.

Homo est,  
Igitur non est uacca.

**Ab exemplis.**

Ad exempla pertinent prouerbia, fabule, & sententiæ doctorum & magnorum hominum. Item auctoritates, ut Vergilius dicit:

Scinditur incertum studia in contraria uulgus,  
Igitur uulgus inconstans & mobile est.

Terentius dicit:

Omnes melius sibi malunt quàm alteri,  
Igitur omnes studemus priuatæ utilitati.

GRM



Crus extrahens lupo ossa herentia in gula, &  
post multa promissa risum accepit pro suo  
beneficio.

Igitur perit quod facis ingrato.

Coluber frigore propemodum enecatus, à rustico  
domum delatus, ueneno domum infecit,

Igitur sepe obsunt, quibus tu profuisti,

Regnum cœlorum simile est reti, in quo capiuntur  
boni & mali pisces,

Ecclesia ergo, quæ intelligitur per regnum cœ-  
lorum, bonos & malos continet.

Regnum cœlorum simile est fermento,

Igitur creditum Euangelium sensim mortificat sen-  
sum carnis: & sensim emendat uitam, mores,  
& animos piorum.

Regnum cœlorum simile est grano sinapi,

Igitur uerbum in speciem contemptum, tamen po-  
tentia Dei est.

#### A SIGNIS.

Qui locus hic à signis est, apud Rhetores à con-  
iecturis dicitur. Sunt autem signa notæ quæ sensu  
deprehenduntur, ut:

Rubescit,

Igitur reus est.

Visus est Vlysses sepelire Hæcæm,

Igitur eum occidit.

Cruentum



## DIALECTICA

*Cruentum gladium domum detulit,*

*Igitur patrauit necem.*

*Tristem habet uultum,*

*Igitur infortunio præmitur.*

*In his argumentis regnat Terentius, ut in Andria*

*Actu. 2. Scen. 2.*

*Paululum obsonij,*

*Ipsus tristus,*

*De improviso paratæ nuptiæ*

*Solitudo ante ostium,*

*Nemo introit,*

*Nemo exit,*

*Nihil ornati,*

*Nihil tumulti.*

Igi- tur	False sunt fictæ nuptiæ.
-------------	-----------------------------

### Appendix de locis.

*Hæc de locis. Restat nunc scire ex prædictis locis quosdam esse probabiles, qui continent probabilia argumenta, quæ ex coniecturis constant tantum. Quosdam uero necessarios esse, qui gignunt argumenta necessaria, & firmas probationes, dum ex definitione uel partibus eius aliquid colligimus, ut:*

*Cruentum gladium in manu habuit,*

*Igitur necem peregit.*

*Hoc argumentum probabile tantum est, nec probat necessario. E contra necessarium est & firmum argumentum.*

*Bellum*



Bellum est uindicta, quam exercet magistratus,  
Ergo licet bellum gerere.

De Hypothesica propositione.

Hypothesica propositio est conditio, que adij-  
citur cause. Cognoscitur autem ex communi usu lo-  
quendi, ut wan eyn güter herbst were, so würde  
der wein reiff, Aber es ist keyn güter herbst, dar-  
umb wirt der wein nit reiff.

Species	Conditionalis	huicseruit	Par.	Si
hypothe	Copulatiua		ticu	Et
tice	Disiunctiua		la,	Aut
				Seu
				Vel

De Dispositione Hypothesi-  
carum conditionalium.

Valet in conditionalibus consequentia, quando  
sibi ipsis mutuò respondent antecedentia et conse-  
quentia.

Si uirtus perit, iusticia perit.

Sed uirtus perit. Ergo et iusticia.

Si honestè uixeris, benè tibi erit.

Sed non uiuis honestè,

Igitur non erit tibi benè.

Si ex lege est iusticia, irrita est promissio.

Sed promissio non est irrita,

Ergo ex lege non est iusticia.

Si ope



## DIALECTICA

Si opera iustificarēt, seruarētur etiā impij operarij;  
Sed impij operarij non seruantur,  
Igitur opera non iustificant.

### APPENDIX.

Cōditionalis ppriē sola meretur dici hypothetica.  
De dispositione copulatiuæ.

Copulatio non est referenda ad regulam Gram-  
maticas: Sed ad cohærentiam materiæ, an partes ma-  
teriæ aptè cohæreant. Requiritur in hac, ut utraq;  
pars sit uera, ut:

Euangelium annunciat remissionem peccatorum  
& solatur consciencias,

Christus donat peccata, & Christus seruat cora-  
pora peccatorum.

### APPENDIX.

Copulatiua remotior est à natura hypotheticæ;

De Dispositione disiunctiuæ.

In disiunctiuis sic colligimus diuersa, ut alteram  
partem urgeamus propter aduersarios, ut:

Aut studendū est puro uerbo, aut humanis tradi-

Sed non studemus puro uerbo, (nonibus)

Igitur humanis constitutionibus studemus.


Aut uirtus est à bono uiro amplectenda, aut uitium,

Sed uirtus à bonis amplectitur,

Igitur uitium non amplectitur à bonis.

FINIS.






MARPURGI, Anno. M. D. XLV.






BARTELDI ANTON D. KUN.











77 L 1030

ULB Halle  
004 834 178

3



56

6.62


cl. 12.











**DIALECTI-**  
**CA** MULTIS AC VARI-  
is exemplis illustrata, unà cum facili-  
ma Syllogismorum, expositoriorum,  
enthymematum exemplorum,  
inductionum, & soritum  
dispositione.

AVTORE M. ERASMO  
*Sarccrio Annemontano.*



MARPURGI in officina Chris-  
tiani Egenolphi.

